ORATIO DE PRAESTANTIA, ET UTILITATE LIBRORUM SS.D.N...

Francesco Antonio Mariani,
Valenti Gonzaga



ORATIO
DE PRÆSTANTIA,
ET UTILITATE LIBRORUM
SS.D.N. BENEDICTI XIV.
P. O. M.
DE BEATIFICATIONE SERVORUM DEI, ET BEATORUM CANONIZATIONE.

CUI ACCEDUNT THESES EX EISDEM LIBRIS desumptę & Compluti defensæ: Et altera ORATIO in Comitiis Generalibus universi Ordinis Minorum habita Romæ in Templo Aracœlitano, & ejusdem Sanctissimi Pontificis ALLOCUTIO, AC DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA de Synodo Alexandrina pro eligendo in locum Dioscori S. Proterio Martyre in Archiepiscopum Alexandrinum tempore Concilii Calchedonensis, habita in Palatio Quirinali coram SANCTISSIMO in Academia Conciliorum.

AUCTORE

FRATRE FRANCISCO ANTONIO MARIANI de Corbaria ex Ordine Minor. Observ. Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, Secretario Generali Ordinis, & Supremæ, & Universalis Romanæ Inquisitionis Qualificatore.

MANTUÆ IN CARPETANIS ANNO M.DCC.LI.

Cum Superiorum permissu, & approbatione.

63

Digitized by Google

Lætatus ſum in omnibus : quoniam antecedebat me iſta Sapientia , quam ſine fictione didici , & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.
Sapient: cap. 7. verſ. 11. 12. 13.

Digitized by Google





DE LIBRIS

SS. DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

6 4

Digitized by Google

Digitized by Google

SS. D. N.
BENEDICTO XIV.
PONTIFICI SAPIENTISSIMO,
OPTIMO, MAXIMO.

FR. FRANCISCUS ANTONIUS MARIANI
de Corbaria Ordinis Minorum Obſervantium,
poſt ſanctiſsimorum pedum oſculum,
felicitatem D.



FFERO Tibi res tuas, Pater Beatiſ-ſime, quæ jure petunt redire ad Auc-torem ſuum. Nihil enim hoc in Li-bro continetur, quod abs Te non didicerim, atque ex uberrimis fontibus non hauſerim im-men-

mensæ sapientiæ tuæ, ac propè Divinæ. Nam quidquid à me dictum est in hisce duabus Orationibus, totum quantum est ex aureis Libris tuis: *de Beatificatione Servorum Dei, & Beatorum Canonizatione*, atque ex Sapientissima illa *Allocutione* desumptum est, quam anno præterito habuisti in ComitiisGeneralibus Ordinis mei ad Primarios Patres. Assertiones præterea, quas in Academia Complutensi publicæ disputationi exposui eo sanè consilio, non ut earum veritas à quopiam confirmari, aut de iis jure quis dubitare queat, sed ut ad eorum Librorum studia fortiùs Adolescentes incitarem, & allicerem, sunt ipsamet doctrina tua, quæ in eisdem Libris traditur, & docetur. Ad quas sanè *Disputationes*, quæ duobus diebus habitæ sunt, & ad *Orationem*, quæ tertio die *de Librorum tuorum Præstantia, & Utilitate* à me dicta est, tantus ad audiendum fuit hominum concursus, quantum ipse non facilè credidissem. Dissertatio demùm *de Alexandrina Synodo* pro eligendo in locum Dioscori Proterio, Viro Sanctissimo, & Martyre in Archiepiscopum Alexandrinum, imperio

tuo

tuo potissimùm, & sapientiæ debetur. Eam etenim habui in celeberrima illa Academia Conciliorum, quæ à Te Litterarum, & bonarum Artium salutis Restitutoris, & Principe instituta est. Ad eam præterea finiendam aureis tuis Libris usus sum, ex quibus magnum mihi lumen accessit ei absolvendæ controversiæ, cum omnium fermè Criticorum, quos sciam, silentio obrutæ, tum verò magna monumentorum penuria laboranti. Quare haud dubia spes est. PONTIFEX OPTIME, AC SAPIENTISSIME, exiguum hoc opus Tibi gratissimum futurum ipsa rei dignitate: quia, videlicèt, totum, quod continet, tuum est, & à Te Magistro, & Authore profectum. Illud me solùm angit vehementissimè, nec ornatè, uti par erat, & dignè dixisse me de Libris tuis, nec mente, & ingenio (quod in me sentio quàm sit exiguum) illam assecutum esse doctrinæ, & pietatis copiam, quæ ex jucundissima Librorum tuorum lectione (ad quam assiduè incumbo) percipi potest. Quo circa cum imperitiæ deprecandum mihi est, tum etiam audaciæ, quod eos non docere modò, sed vel attingere ausus sim. Illa ta-

tamen, quæ maxima eſt, Clementia tua in ſpem me adducit, quod hunc qualemcumque laborem metieris non ex quo doctrina profecerim, ſtudendo Libris tuis, ſed ex ardentiſſimo proficiendi ſtudio, & voluntate. Quod ſi in aureis tuis ſententiis exponendis quid à me fuerit peccatum (peccavi fortè multa) infimis precibus, ac demiſsis oratum Te volo, id ut inopiæ ingenii mei potiùs quàm mihi doctrinis tuis addictiſsimo tribuendum putes. Ego equidem etſi imparatum me à ſapientiæ præſidiis haud ignorem: atque ut aliorum, tum maximè Tui judicia mortalium omnium Sapientiſsimi, & Magiſti, magnoperè verear, & pertimeſcam, malui tamen exiſtimationem negligere, quàm hoc, qualiſcumque ſit, exiguo labore publicam mei erga SANCTITATEM TUAM grati animi, & ſinceriſsimi cultus ſignificationem. Multis enim nominibus ego nominatim TIBI debeo. Neque verò, quæ fuerint tua de me judicia, explicabo. Vereor enim, ne famæ potiùs meæ conſulere videar, quàm religioſiſsimam illam, quæ maxima eſt, mei erga Te voluntatem obſequii ple-

plenam, & amoris palàm confiteri. Quam ego SANCTITATIS TUÆ benignitatem ita inclusam intimis sensibus habeo, ut sentiam me quibusdam veluti stimulis impelli, ad grati erga Te animi mei, verèque devicti testimonium, quantum fieri per me potest, transmittendum ad posteros, Tibique precandum à Deo, & Parente Ordinis mei Francisco Sanctissimo omnia bona indignis precibus, & sacrificiis meis. Quæ vero me impulerunt causæ, ut hasce laborum meorum primitias in studiis litterarum Tibi consecrare auderem, minimè dubito, quod eædem Clementiam tuam Majestati tàm excelsæ parem adducent, ut eas in lucem sub Augustissimi nominis tui præsidio, tutelaque prodiisse patiare. Quas ego, ubi in iis ingenii mei tenuitatem adverto, non eò Tibi offero, quòd credam, in aliquo apud Te fore pretio (non enim sunt tanti) nec defœcatissimo judicio tuo aliquam afferre posse oblectationem: Sed quod sperem, SANCTITATI TUÆ gratum esse quidquid in Templo Dei, cui Tu *Sacerdos Magnus*, *Summusque Pontifex ex hominibus assumptus* Divina cum potestate præ-

præces, ab unoquoque offeratur; si offerat, quod potest. *Alil enim*, ajebat Sanctus Hieronymus, *in Templo Dei aurum, argentum, & lapides pretiosos, alii byssum, & purpuram, & Coccum offerunt, & Hyacinthum: nobiscum benè agitur, si obtulerimus pelles, & caprarum pilos* (*a*).

Te itaque, PONTIFEX MAXIME, AC SAPIENTISSIME, obtestor, & obsecro, ut Familiam Minorum immortalibus, ut facis, beneficiis tuis ornare pergas, atque exiguos hosce labores meos in studiis litterarum æqui, bonique facias. Quod reliquum est, Te Deus immortalis quam diutissimè servet incolumem publicæ, ac christianæ rei bono: quam SUPREMUS PRINCEPS imperio moderaris: SUPREMUS MAGISTER regis, & instruis sapientia, & doctrina: pascis SXPREMUS PASTOR religione, & exemplis.

CEN-

(*a*) In Prolog, Galeat:

CENSURA R. A. P. FR. JOANNES PICAZO, DOCTORIS Theologi, bis Jubilati Lectoris Complutensis, quondàm in Universitate Primarii Moderatoris in Cathedra V. & Subtilis Doctoris, Examinatoris Synodalis Toletanæ Archi-Diœcesis, Scriptoris Ordinis, Patris, & Diffinitoris Castellanæ Provinciæ, & hujus magni Conventus Matritensis Guardiani, &c.

LEgi, Rme. Pater, te jubente, librum, cui titulus: *Orationes, & Dissertationes*, ab A, R.P. Fr. Francisco Antonio Mariani compositum. Summa voluptate persusus sum in hujus libri jucundissima lectione. Personat liber hic canorum, & divinum melos sacræ doctrinæ, & admirabilis eruditionis, ac sapientiæ propè divinæ *SS. D. N. Benedicti XIV.*; quare jure, & meritò est *Sanctitati suæ* dicatus: ita ut Auctor verè dicere possit: *Eructavit cor meum verbum bonum, dico, & consecro opera mea Regi*. Nam Summus, & Sapientissimus Pontifex *dedit voci Auctoris vocem virtutis*, quæ tanta eloquentiæ vi, tanta ingenii subtilitate insonuit in celeberrima nostra Universitate Complutensi, docendo aureos Libros de *Canonizatione Servorum Dei*, Theses ex iis desumptas defendendo, præstantiam eorum, & utilitatem prædicando, ut omnes nos admiraremur. Verè Pontifex, Divini Verbi Caro facti Vicarius dat verbum benedictum, sanctum, & immaculatum; & Auctor, ceu alter Præcursor, est hujus Pontificii verbi *vox clamantis* in Academia Complutensi, *penetrabilior omni gladio ancipiti*. Et verò eadem eloquentiæ vi promovet decus Seraphici Ordinis in Oratione, quam in Comitiis Generalibus habuit. Equidem in hac vox filii clamantis respondet verbo Sanctissimi Patris BENEDICTI docentis in ea sapientissima *Allocutione*, quam ad Patres Vocales dixit. Nec minori eruditione, & acumine ingenii perfecit Auctor Dissertationem *De Ordinatione S. Proterii Martyris*, licèt caligine, & silentio antiquorum Scriptorum ferè involuta. Quæ cum ita sint, censeo, ut in publicam lucem edatur. Matriti ex hoc Conventu S.P. N. Francisci die 12. Julii 1751.

Fr. Joannes Picazo.

CEN-

CENSURA ADM: R. P. FRANCISCI LLORCA, *Lectoris Jubilati, & Secretarii Generalis Ordinis.*

LIbrum, cui titulus: *Orationes, & Dissertationes*, ab adm: R. P. Francisco Antonio Mariani compositum, sedula attentione legi, Rme. Pater. Atque in hac lectione mihi duplicatum est gaudium. Primò: quia mihi datum est, jussis tuis ea reverentia, qua non subditum modò, sed & filium decet, obtemperare: *In capite* enim *libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* (Psalm: 39. v. 11.) Quare cum audivi vocem de ore tuo dicentem mihi: *Scribe*, (Apoc. 10. vers. 4.) & sermonem mihi jussisti proferre de volumine hoc, cum Psalmista dixi: *Volui, & legem tuam in medio cordis mei* (Psalm. ibid:) Secundò: quia Collegæ, & arcto amicitiæ fœdere mihi devicti, ut opus legerem, imperio tuo factum est, & ad examen revocare. Itaque omni amicitia seclusa, ne in illud incurram: *Malè verum examinat omnis corruptus Judex*, atque Orationibus, & Dissertatione *de Ordinatione Sancti Proterii Martyris in Archiepiscopum Alexandrinum*, accuratissimè lectis, censeo, quod Typis publicis dari possit. Exprimit enim perfectè, quàm utiles sint, & præstantes Libri aurei, & Cedro digni *Sanctissimi, ac Sapientissimi D. N. P. Benedicti XIV.* ad quorum studium omnes, ac præsertim Adolescentes nostros Hispanos movet, & excitat. Magna quoque eloquentia persuadet, quàm grave negotium sit eligere Ministrum Generalem totius Ordinis nostri. Cujus Orationis jucundissimum fructum percepit Seraphica Religio, cum Te, Rme. Pater, habere Pastorem, & Ducem lętatur. In Dissertationibus in Complutensi Universitate tanta cum laude defensis, sicut & in altera *de Ordinatione S. Proterii* Authoris ingenium, & eruditionem est admirari. Ita sentio: *Salvo meliori judicio.*

Frater Franciscus Llorca.

LI-

LICENTIA ORDINIS.

FR. Petrus Joannetius de Molina, Sacræ Theologiæ Lector, Catholicæ Majestatis in Regali Congressu pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Servus in Domino. Dilecto Nobis plurimùm in Christo R. P. Fr. Francisco Antonio Mariani de Corbaria nostræ Observantis Provinciæ Principatus, Sacræ Theologiæ Lectori Jubilato, ac Secretario Generali Ordinis, salutem, & Seraphicam benedictionem.

Cum Librum à te compositum, cui titulus: *Orationes, & Dissertationes*, duo ex Theologis nostris, quibus eum examinandum commisimus, approbaverint: Nos vigore præsentium facultatem tibi concedimus, quatenus eumdem publicis Typis dare possis: servatis tamen de jure servandis. Dat. Matriti ex hoc nostro Conventu S. P. Francisci die 12. Julii 1751.

Fr. Petrus Joannetius de Molina,
Minister Generalis.

De mandato Rmi. in Christo Patris,

Frater Franciscus Llarca,

Secretarius Generalis Ordinis.

AP-

APPROBATIO R. P. M. ANTONII à Regibus, Societatis Jeſu, Supremi Studiorum Collegii Imperialis Præfecti, Examinatoriſque Synodalis Diœceſis Cartaginenſis.

DE mandato Domini D. Thomæ de Naxera Salvador, Divi Jacobi Ordinis, Inquiſitoris Ordinarii, Vicariique Matritenſis, Archiepiſcopatus Toletani, &c. legi, & jucundiſsimè perlegi Librum, cujus titulus eſt: *Orationes, & Diſſertationes*, elaboratum à R. P. Fr. Franciſco Antonio Mariani de Corbaria, Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Lectoris Jubilati Complutenſis, Secretariique Generalis Ordinis pro negotiis totius Ultramontanæ Familiæ, &c. In quo multa ſunt, quæ me in admirationem rapuere; ſumma pietas in Deum, & Cœlicolas, quæ in quæſtionibus, & Concluſionibus ſelectis, publicèque Compluti propugnatis, relucet: eruditio multa, & varia, tàm ſacra, quàm prophana, in declamationibus, & Orationibus exornandis; eloquentiaque, & verborum proprietas, & energia in eis dicendis. In quibus omnibus video Authórem pleniſsimè Chriſti Domini præceptum ad Doctores, & ſuæ Eccleſiæ Magiſtros adimpleviſſe. De his dixerat ſæpiſsimè Chriſtus: *Vos eſtis lux mundi.* His ergo præcipit,
Matth. 5. ut ſic lucem ſuam diffunderent, ut diſcipuli audientes *glorificent Patrem, qui in Cœlis eſt.* Sic luxit diſcipulis Author, dum Compluti in ſuis Concluſionibus omnia, quæ de *Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum* ſcitu digniſsima, dictavit, propugnavitque; ſuam lucem, & claritatem participans, & acci-

Digitized by Google

accipiens à Sole lucidissimo, & clarissimo Ecclesiæ Militantis BENEDICTO XIV. ut à fonte Catholicæ lucis, & veritatis, suam lucem hauriret.

Præcipit ulterius Christus Dominus sic lucere Magistros, & Doctores, ut lux eorum *luceat omnibus, qui in domo sunt*. Hoc abundè, & eruditè implevit Author, dùm in Comitiis Generalibus totius suæ Religionis Romę habitis Orationem habuit. Sed qua eloquentia, qua eruditione? Quo plausu? Hoc unum præ omnibus, quæ in laudem Authoris dici possunt, ostendit, & me judice, præ oculis ponit: qualis, quàm eloquens, qua eruditione plenus sit ille, cui universa Sancti Francisci Religio, & in concursu tot Doctorum, & sapientissimorum virorum ex toto Orbe terrarum adstantium, prælectus, ut ad Orationem habendam, pro concordia, & pace, & directione ad totius Ordinis Patrem, & caput eligendum. Audire mihi videor Dominum ad universam Religionem dicentem, quod olim dixerat Moysi: *Et Aaron Frater tuus erit Propheta tuus.* Quare, ut omnibus, sine limitatione prodesse possit, quia nihil continet bonis moribus, & Fidei contrarium, judico, dignum esse publica luce, & ut Typis mandetur. In hoc Imperiali Collegio, die 10. Octobris anni 1751.

Matt. cap. 5.

Exod. 7. v. 1.

JHS.

Antonius à Regibus.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Thomàs de Naxera Salvador, de la Orden de Santiago, Capellan de Honor de ſu Mageſtad, Inquiſidor Ordinario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido, &c. Por la preſente damos licencia al P. Fr. Franciſco Antonio Mariani de Corbaria, del Orden de S. Franciſco, Lector Jubilado, y Secretario General de la Orden, para que pueda imprimir el Libro, que ha eſcrito, intitulado: *Orationes, & Diſſertationes, &c.* atento à eſtàr viſto, y reconocido de nueſtro orden, y no contener coſa contraria à nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres. Fecha en Madrid à 17. de Agoſto de 1751.

Licenc. Naxera.

Por ſu mandado

Vicente Garcia.

CEN-

CENSURA R.P.M.D. ALEXANDRI Aguado, celeberrimi Instituti Sancti Basilii Magni Hieromonachi, in Sacra Theologia Antecessoris, Doctoris laurea insigniti, Eximii Suaresii Cathedræ Theologiæ Universitatis Compluti Moderatoris, Supremi Senatus Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum Censoris, ejusque à secretis consiliis, omnibus jam suæ Religionis perfunctis Officiis, Ex-Præsulis Generalis Hispaniarum munere Patris conscripti, &c.

SYderis Torridi Romæ fugiendis ardoribus, Tullius ille Magnus Orator Tusculanam adibat Villam, eruditionis aura peramenæ recreandus. In ejus locum subrogatum habemus Ascetæ Basiliani perantiquum illud, ac celeberrimum Crypto Ferratense Monasterium: ubi dum eram Romæ, Ciceronem imitabar. Duodecim abhinc annis, jubente Numine, extunc Compluti, nostri interclusus Musæi parietibus, degebam; placidè tamen genio indulgens: quippè jam ad mei muneris Cathedræ distentus lectionem, ad Historias, ad Mathemata, ad Eruditorum placita, jamque ad Musas post prandium contubernalibus meis garriens, vita trudebatur, *Segnis ut Carduus in arvis.* Quo sydere nescio, ex cruribus laboro, nimia phlematis, ut inquiunt, gravatus salsugine. Saluti consulendæ, æstivoque ar-

dori leniendo, Mantuam novam in Carpetanis diverti. Oppido mihi Tmalagma fuit, cum Reg. Castellæ Suprem. Senatus sitienti ardori potionem aggesserit Cyceonem, ut nuncupant Græci, (1) deferens censeri concinnatas Declamationes pereruditas, atque Dissertationem, valdè abstrusam, Cymmeriis in tenebris abditam, de S. Proterii electionis loco à R. M. P. Fr. Francisco Antonio Mariani de Corbaria, nobilissimo Minorita, Provinciæ Principatus alumno, in Conventu Aracœlitano Urbis Sacræ Theologię Lectori, ac posteà in Academia Complutensi Jubilato, Reverendissimi Generalis totius Seraphici Ordinis à Secretis pro negotiis Provinciarum totius Familiæ Ultramontanæ. Mirum Opus! Mirabilior Author! Epytheton illi tribuam, quod olim nostrati Abulensi: *Stupor mundi* (2) *qui scibile discutit omne.* In declamando Oratoris munus si introspicias Authoris, ad perfectum undique, & absolutum pervenit: Omnes Græciæ opes ad se transtulit, Lyciæ subtilitatem, Isocratis nitorem, Lycurgi gravitatem, Demosthenis vehementiam, Æschinis facilitatem, Hyperidis calliditatem; à nemine superatus. Sermo verè atticus, non elumbis, nec inflatus, latinæ venustatis suavitate, & castimonia puræ, emmendatæque dictionis: Omnes depromit divitias Romani sermonis; græca eruditione imbutus, consuetudinem latinè dicendi affert. Qui aliter cum Tullius referat: *Ad sublime eloquentiæ* (3) *fastigium Latinus Orator sine græcis litteris pervenire non potest.* Idcircò apud Hispanos Latinitatis viguit elegantia, Græcis disciplinis imbutos: Constat enim ex Strabone, Asclepiadem Myrlenia-

(1) Theodorus de Prov.

(2) Spondan anno Christi 1443.

(3) Cicer. de Claris Oratoribus.

nianum in Turditania Grammaticam publicè docuiſſe.

Regna, ac Provincias, ad Occidentem ſitas, denſiſsima ignorantiæ caligo obſcuraverat: lumine, liberalibus diſciplinis adipiſcendis, extincto, fœda barbarie obruebantur omnia. Exitialis illa Clades, & luctuoſa Bizantina, ſæculo decimo quinto ineunte, cultum litterarum, veluti poſtliminio, reſtituit Occidenti. Apud Italos ſtudia, jam pridem emortua, ſuſcitarunt Græci, Chryſoloras, Gaza, Laſchares, Moſchòpolus: haud parum eruditioni juvit in Italia Purpuratus Beſſarion ille, celeberrimus Baſilianus Aſceta, Vir cum acumine ingenii, tùm Linguæ peritia Græcorum longè Princeps, qui & Grajam, & Romanam locutionem tàm ſcitè calluit, ut utram in cunis didiciſſet, dignoſci facilè non poteſt, Spondano teſte. Hiſpania noſtra prænituit Græcis diſciplinis imbuta: Ineunte ſæculo decimo quarto cœpit frondeſcere, ut campi, qui cultu, atque irrigatione ceſſante, ſterileſcunt, illis renovatis, pullulant denuò, ac revireſcunt: quod innuit Ildephonſus ille Rex, cognomento Sapiens, uſuſque inſtitutionum Max. Planudes, Monachi Bizantini, quæ apud Hiſpanos in prætio ſunt. „ Neſcio, ajebat Baſilius Caſtelvinius: „ (4) qua cenſoria virga Hiſpanorum hominum nomina ſeveriſsimè notarunt, eiſque ademerunt humanarum diſciplinarum amenitates, & Phylologiæ, ac Linguarum notitiam; ſed immeritò quidem, (fremant alii licèt: dicam quod ſentio) nam in Græcæ Paleſtræ exercitatione plurimas palmas tuliſſe, nemini latet, Barboſas, ſcilicèt, Sepulvedas,

(4) Caſtelv. epiſtol. 8. lib. 3. Em. man. Martin.

¶¶ 3 Ver-

„ Vergaras , Lacunas , Pincianos , Ver-
„ zosas , Covarruvias , Statios , Maria-
„ nas , Nunesios , Mendozas , Poncios:
„ quibus etiam simùl , & in arena Romanâ
„ à cunĉto Eruditorum consessu plausus est
„ multiplex datus. Ubi nec eis invidisse ig-
„ notum est , incompertumque illos omnes
„ Antonios , Vilchios , Resendios , Zuritas,
„ Vives , Tevios , Ciaconios, Foxios, Mata-
„ moros , Perpinianos , Augustinos , Osso-
„ rios , Alvaros , Zerdas , Miedes, Blancas,
„ Calvetos ; & quamplurimos , qui æquali
„ cursu , & gloria citrà pulverem , ac metas
„ properarunt. Hucusque Castelvinius.

Eruditus percallens Author (quæ sua sapientia est) Hispanorum studia , & mores, qui , subtilitate fulgentes , doctrinis , & armis , pro Religione Catholica mortem oppetere, virtutis præmium autumant, ut, adscitis humanis litteris , Summi Pontificis BENEDICTI XIV. *qui in nomine Domini venit*, Libris edoceamur , suadet. Magnoperè regnantis Pontificis opera plurimi facimus Hispani ; maximè de *Beatificatione* , *&* *Canonizatione Sanctorum* : hoc enim Opus malleus, atque flagellum infidelium , hæreses omnes, & errores expugnat : dogmata munit : Religionis cultum persuadet : contorta Philosophorum sophysmata diluit : omnium disciplinarum genus clarescit : *Quasi os Domini separat prætiosum à vili* : Jurisprudentiæ,Philosophię , atque Theologiæ filis funiculus triplex , qui difficilè rumpitur. Præfatum Pontificis Opus Ecclesiæ doctrinæ Abelam facilè intelligo : *ut qui interrogant* , *interrorogent in Abela* , *&* *sic perficient*. Singulare hoc enim est , & privativum Librorum Pontificis , quòd tàm facilè sit sejungere ab illos

com-

comparantibus munus virtutis à doctrinæ officio, quàm effigiem Phydiæ à Simulacro Minervæ. Jungit in unum illud geminum Davidicum: *Lex Domini* (5) *immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* A sensu vanitatis, & superstitioso Gentilium animas convertit in Religionis cultus probitatem, & tamquam Doctor simplices alioquin, & parvulos sapientes reddit, & doctos. Lectores evadent nedùm probi, sed docti, ut potentes sint eos, qui contradicunt, arguere. Eximiè instructus Author decemviros subsellis; Compluntensis præclaros, quibus illa magis exultat Academia percelebris, quàm septemviris suis Græcia sapientibus, gemino certamine subtilissima tela scholastica jacientes, pro dignitate retudit, nostræ Academiæ in gymnasiis personans alter Lyvius, lacteo eloquentię fonte manans, (6) quem tot virorum fama Complutum perduxit. (5) Psalm. 18. (6) Div. Hieron. ad Paulinum.

Summi Pontificis doctrina, sicuti & Authoris elegantia calamo, & lingua secum ipsa concertant. Libros si legas, primatum ambit calamus dispositione dictionum: oris si audisses energiam Authoris, dulci sono linguam prætulisses absdubio. Utriusque lectionem miraberis; sed quod Eschines de Demosthenis Oratione „ censebit: *Habet enim nescio*, inquit Hieronymus (7) *quid latentis viva vox energiæ, & in aures transfusa fortius sonat.* Martialis illud apponam: (7) Ubi supra.

Post te Victuræ, per te quoque vivere Chartæ
incipient.

Summa laude dignus est Author suo in

¶¶ 4 arden-

ardentiſsimo conatu , ut ſtudioſi juvenes Hiſpani exerant vires in addiſcendis *de Beatorum hominum Apotheoſi* doctrinis, à Summo exaratis Pontifice , quod apertis ulnis ſuſcipient omnes , inſtruendi , secùs diſceptandi cauſa . , Scholarum Hiſpaniæ methodus valdè utilis Eccleſiæ fuit, eritque poſthàc absdubiò. Dogmata abſque contentione in ſingulis materiis Theologi noſtrates docent ; in ſinguliſque tractatibus hęreſes , & errores declarant , ut cathecheſim dilucident. Pugnavit Theologię pars , Polemyca nuncupata , quam Scholaſticam autumant , non in errorum, dogmatumque diſceptatione apud Hiſpanos verſatur : atqui ſecundùm principia doctrinæ ſanæ potentes fiunt, eos , qui contradicunt , arguere in doctrina ſana. (8) Perſpicacioris eſt ingenii plures Concluſiones videre in primis (9) principiis ſpeculativis. Hinc Hiſpaniæ Theologi , cum plures in primis principiis videant Concluſiones , firmiùs adhęrent dogmati , ad theticam Theologiam pertinenti : hancque partem ita tenemus , ut nemo eam nos dimittere faciat , juxta illud : *Tene quod habes* , (10) *ut nemo accipiat coronam tuam.* Theologus ille primus Nazianzenus Parens tripartitam nobis donavit Theologiam: Dogmaticam , quam firmitate teneamus; Contentioſam , quam invenire laboremus: Conſummatam , & claram , quam in futurum ævum reſervemus : Nazianzenum audiamus : *Eam partim* (11) *dogmaticam teneamus* , *partim* (Polemycam) *quandiù in terra verſamur, percipere ſtudeamus, partim* (conſummatam) *in futurum ævum reſervemus* , *ut hunc laboris, induſtriæque noſtræ fructum habeamus.* Scho-

(8) Div. Th. in 1. p. q. 1. art. 8.

(9) Idem in Tabul. Bergom. verb. ſpecul.

(10) Apocal. 3.

(11) Par. Nazian. orat. 29.

Scholasticorum munus inquirendi est veritates cogitationibus mortalium, quæ timidæ sunt: dum enim inquirunt, formidine laborant semper; quippè Paulus ajebat: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim*, (12) *sequor autem, si quomodo comprehendam.* Non putant se ad sapientiam pervenisse, nec se optimos esse credunt; itaque studio scholastico meliorari percupiunt: perpes hic Theologorum Hispaniæ conatus, *Donec perfectum veniat*, (13) *& evacuetur, quod ex parte est.* Sectam Academicorum abhorrent, quorum argumenta, inquit Augustinus: *Multis ingerunt veri inveniendi* (14) *desperationem, & prohibent cuiquam rei assentiri.* Theologi nostrates duas in Religione personas agunt laudabiles, Cathechistarum, qui jam invenerunt: Polemycorum, qui studiosissimè, & rectissimè inquirunt, aliquem ut præbeant assensum rebus disceptandis: *Et sicut trahitur sapientia* (15) *de occultis*, quæ Sciolorum vulgus ignorat, comperta sunt Scholasticis. Magnus Augustinus docet, quod Hispaniarum Schola sua methodo instituit: *Duæ sunt personæ in Religione* (16) *laudabiles; una eorum, qui jam invenerunt, alia eorum, qui studiosissimè, & rectissimè inquirunt*: Sectarii omnes, in Fideque valetudinarii Scholasticos incitant: suos vocant *Theologos*, nostrates *Scholasticos*. Jueremeritò Doctores Catholici nuncupari debent *Scholastici*; in Dialecto namque Græcorum illa vox *lucubratores, & gradatim procedentes* innuit. Haud Sectariorum mos, qui, ut Nazianzenus ait: *Urius diei* (17) *momento Theologos creant.* Theologiæ subtilitates cum reli-

(12) Paul. Apost. ad Philip. 3.

(13) Div. Paul ad Cor. 13. v. 10

(14) Div. August. 1. de Tract. cap. 14.

(15) Job 28.

(16) Idem ibid.

(17) Gregor. Naz. orat. 33.

reliquis Verulamius Anglus Philosophus Calvinista contemnit. Illis dicamus, quod Maldonatus : „ Calviniani , quibus „ ista sophysmata videntur , & Conciliorum deliramenta sunt , tentent (18) alia „ ratione ex scripturis probare , quod nobiscum de hoc Mysterio credere se di„ cunt : quod cum facere non potuerint, „ irridere desinant traditiones nostras , & „ subtiliorem Theologiam , ista è tene„ bris eruentem. In opinabilibus contendunt Scholastici de meliori forma dilucidandi principia , intensius semper inhærendo Theologicis locis suis in disputationibus, Parentisque magno Basilii præscripto : *Ego proindè* , ajebat ; (19) *natura sic sum , ut permolestè feram quidvis minus perfectum abire*: Nam quod perfunctoriè agitur , non attingit perfectum.

(18) Maldon. sup. cap. 1. Joan. num. 127.

(19) Magn. Basil hom. in Martyr. Jullit.

Eruditissimus Author suo perspicaci ingenio , Hispanorum mores animadvertens , juvenes meritò invitat imitari majores , benè ut instituantur , secùs ut dogmata disceptent , quippè profligatas Hæreses videt , & quod suis legibus Accolas Sectarios nullos suo amplectitur sinu nostra Catholicorum Iberia Regio : *Quo in casu* , Angelici Præceptoris utar verbis, (20) *periculosum est publicè disputare de Fide coram simplicibus , quorum fides ex hoc est firmior ; quia nihil diversum audierunt ab eo , quod credunt : & ideò non expedit eis , ut verba Infidelium audiant , disputantium contra Fidem.* Sanctæ Inquisitionis in secretis consiliis Hispani Theologi , dogmata disceptantes , apprimè convincunt: audiunt , qui intersunt , & verè mirantur : palàm prolusoria certant pugna : re-

(20) Ang. Doct. 2. 2. q. 10. art. 7. in corpor.

con-

conditas Fidei semitas detegunt; captivantes intellectum in obsequium Christi: unusquisque suo abundet sensu. Nostrates Austro viciniores, perflant Ecclesiæ hortum, pluentes aromata: exteri, Aquiloni viciniores, dogmatum armis hostes debellant, *nam ab Aquilone pandetur omne malum*. Terram Nationibus congruè divisit Deus, juxtaque mores. Exteri gaudent polymathia; utpotè profusioris ingenii: subtili nostrates penetratione veritatis; quippè ingenii profundioris. Catholici meliorantur exteri Hispanorum discursibus: notitiarum copia exterorum nostrates utuntur. Hoc litterarum mutuo commercio Catholicorum castra inexpugnabilia redduntur. Illud Ausonii haud incongruit;

Incidens cœco graditur pede claudus utroque:
Qua caret alteruter, sumit ab alterutro.

Utrumque nectit Author, ingenio, qui summo miscuit utile dulci.

Comptam utriusque perlegens Comitiis in Generalibus Seraphici Ordinis Orationis Compàgem nostri videlicèt Summi Pontificis, atque Authoris, unum audiebam spiritum, animam unam doctrinæ, & elegantiæ: Jonatham, & Davidem mirabar, animabus eruditione conglutinatis, dictionum vestibus, ut eloquentiæ phrasibus, mutuò translatis. *Pater*, Summus Pontifex, (Veronensis utar verbis) *se reciprocavit in filium*, Christi Vicarii lucida monita micant in Alumno Minorita, ut Christi Vulnera tamquam sydera micare videntur in ejus Stigmatico Patriarcha. De S. Proterii electionis loco,

co,

co, apud Ecclesiæ Historiographos valdè abstruso, erudita dissertatione delectabar, arctus, & nervos prospiciens pulchræ lectionis. Concilia silent: obmutescunt Patres: Historici haud diatribam concludunt: Minorita nobilis, adscitis Chronologia, Historia, & Geographia, Theseus alter Ariadneis filis Labyrinthum evasit. Improbo labore demonstrat, quod Synodus Calchedonensis tacet. Perbellè
(21) Cicero ajebat: *Historiam esse* (21) *magistram vitæ, & lucem veritatis.* Lumine ipsius haud sine lacrymis Bononiæ lustravimus Basilianæ Sobolis monumenta vetustatis: Ubi Abbatiam nostris concessam, à Petronioque erectam in Serapidis Templo, alio ablegatam audimus ab anno nongentesimo octogesimo. Canus, Hispaniç decus, demonstrat, qualia in Theologiæ usum ex humana historia ducantur
(22) argumenta: Juvat enim (22) mirificè Theologum contra Fidei adversarios.

(21) Tull. in 1. de Orator.

Verè Theologus iste, omnibus numeris absolutus, viris præfertur doctissimis polymates. Post ejus ortam lucem jucundior evasit quæstio, Basilii verba apponam Authori: „Dei vox ad jucundissi-
(23) „mam (23) omnia, & longè præstantissimam conditionem permutavit; „ut enim, qui in profundam aquæ voraginem oleum immitunt, ei loco conciliant, & infundunt perspicuitatem: „itidem & Universi Creator edito mox „verbo lucis, amabilem, & peramœnam „venustatem mundo invexit; quippè lumine eruditionis obtenebratam quæstionem, quç undique circumfusa erat abysso, detegit; ut persæpè radius Solis, cum aquas pen-

(22) Can. lib. 11. de Loc. Theolog.

(23) Magn. Par. Basil. hom. 1. in Examer.

penetrat, calculos in fundo collocatos manifestat. Cum Aristoteles dicat: *Oportet* (24) *addiscentem credere*, sapientia, & veritate prædito assentior Authori. Dicam, quod Parens Magnus Basilius: „Animo„rum imagines (25) reverà per sermo„nes exprimuntur; cognoscimus itaque te „per litteras, gavisique sumus, quod te „circa primaria, & maximè bona haud „otiosè affectum invenimus. Quod olim Martialis Daciano proferam:

(24) Aristotel. 1. Elenchor.

(25) Basil. Magn. in epistol. ad Max. Philos.

(26)
Ne valeam, si non totis (MARIANE) *diebus*:
Et tecum totis noctibus esse velim.

(26) Mart. lib. 2.

Hoc opere litteris opulescent omnes: hæc mea sententia, salvo in omnibus meliori judicio, in hoc Basilianorum Cœnobio Magno Basilio Ascetarum Primario, Sacro, in Urbe Hispaniarum Regina, Idibus Septembris, anni Domini M. DCC. LI.

Mag. D. Alexander Aguado.

LI-

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joseph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escrivano de Camarà mas antiguo, y de Govierno del Consejo: Certifico, que por los Señores de èl se ha concedido licencia à Fr. Francisco Antonio Mariani de Corbaria, Lector Jubilado, y Secretario General de Italia de toda la Orden de San Francisco, para que por una vez pueda imprimir, y vender un Libro, que ha escrito, intitulado: *Orationes, & Dissertationes*, con que la impression se haga por el Original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma, y que antes que se venda, se trayga al Consejo dicho Libro impresso, junto con su Original, y Certificacion del Corrector de estàr conformes, para que se tasse el precio à que se ha de vender, guardando en la impression lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos, y con que se execute en papel fino. Y para que conste, lo firmè en Madrid à 13. de Agosto de 1751.

D. Joseph Antonio de Yarza.

ERRA-

ERRATA SIC CORRIGE.

HÆC, pagin. 4. lin. 19. leg. *hæ.*
Materei, pag. 12. lin. 18 leg. *materiei.*
Acevedo, pag. 29. in adnotat. sub litter. y lin. 2. leg. *Azevedo.*
Pro virente, in eadem pag. & adnotat. lin. 5. leg. *Procurante.*
Discipiina, pag. 30. in adnotat. sub litt. z. lin. 8. leg. *disciplina.*
A gente, pag. 33. lin. 16. & 17. leg. *è gente.*
Abjiceretur, pag. 42. lin. 21. leg. *objiceretur.*
Dedi, pag. 67. lin. 4. leg. *dedit.*
Quidem, pag. 78. lin. 6. leg. *equidem.*
Eas, pag. 80. lin. 6. leg. *eos.*
Populas, pag. 89. lin. 6. leg. *Populus.*
Cœlmm, pag. 94. in adnotat. sub num. 16. leg. *Cœlum.*
Continuavit, pag. 125. lin. 1. leg. *concinnavit.*

Hoc Libro perlecto,, qui inscribitur: *Orationes, & Dissertationes, &c.* Authore R. P. Fr. Francisco Antonio Mariani de Corbaria, his emendationibus, omnia suo autographo responde re comperi. Matriti die 20. Octobris ann. 1751.

Lic. D. Emmanuel Ricardus de Ribera.

SU-

SUMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Real, y Supremo Consejo de Castilla este Libro intitulado: *Orationes, & Dissertationes*, su Antor el R. P. Fr. Francisco Antonio Mariani de Corbaria del Orden de nuestro Padre San Francisco, à ocho mrs. cada pliego, como mas largamente consta por Certificacion dada por Don Joseph Antonio de Yarza, à que me remito. Madrid 24. de Octubre de 1751.

D. Joseph Antonio de Yarza.

ORA-



ORATIO
DE PRÆSTANTIA, ET UTILITATE LIBRORUM SS. DOMINI NOSTRI BENEDICTI XIV. P. O. M. DE SERVORUM DEI BEATIFICATIONE, ET BEATORUM CANONIZATIONE.
AD COMPLUTENSES.

QUOD erat mihi vehementer optandum, & quod unum ad capiendos ex ſtudiis Litterarum uberrimos fructus maximè pertinebat, id ſingulari primùm Divinæ Providentiæ beneficio, deindè imperio illius, qui Summus eſt univerſæ Familiæ Minorum, idemque optimus, ac mihi

beneficentiſsimus Moderator, me conſequutum eſſe gratulor, Complutenſes. Quid enim mihi, aut ad gloriam illuſtrius, aut ad doctrinam utilius, aut jucundius ad vitam accidere poterat, quàm honeſtiſsimum illud, difficillimumque docendi munus, à me quatuordecim ab hinc annis incœptum, in ea tandem Civitate, quæ humanæ, Divinæque Sapientiæ domicilium eſt, explere, graviſsimo doctiſsimorum hominum conſpectu frui, in hoc deniquè Religioſiſsimorum Fratrum Conventu, in his ædibus, in hac exedra, quæ viris ſtudioſiſsimis, & eruditis ſemper patuit, Sanctiſsima Religionis Chriſtianæ Dogmata explicando, verſari? Atque hoc, brevi licèt temporis ſpatio, quo jucunda veſtrum omnium conſuetudine frui datum eſt, quot, quantiſque me beneficiis cumulaſtis? Quanta excepiſtis humanitate? Quanta deniquè comitate in hunc ipſum locum ad me audiendum, non unà, non ſemèl, ſed tertiùm veniſtis? Quæ veſtra in me beneficia cum habeo intimis ſenſibus infixa, tum recordationem eorum habebo ſempiternam: pro iis verò me erga vos omnes, erga hanc Patriam, veſtramque gentem grato animo futurum in omni vita, credite Complutenſes. Tametſi & ſentio, & fateor: non meæ doctrinæ varietatem ad cognitionem, non eloquentiæ jucunditatem ad de-

lec-

lectationem vos invitaviſſe,(quæ equidem in me ſentio,quàm ſint exigua) non deniquè mea promerita,non dignitatem,quæ nulla eſt,impuliſſe, ut noſtraLitterarum ſtudia,noſtramqueScholam iterùm, atque iterùm præſentiæ veſtræ luce decoraretis : ſed BENEDICTI XIV. Pont.Opt. Max. auguſtum nomen,atque ſanctiſsimum, cui hoſce noſtros qualeſcumque labores conſecratos eſſe volui,ejuſque prætereà aureos Libros,quos *de Apotheoſi Servorum Dei* conſcripſit, noſtriſque adoleſcentibus hoc tempore explicavi, feciſſe, ut non horrueritis liminis hujus humilitatem, non hujus Exedræ, non Gymnaſii anguſtias, non deniquè hoc hyemale tempus, imbreſque effuſiſsimos,& contumaces,reformidaveritis.De quibus ego Libris, quantum utilitatis, & emolumenti, quantum dignitatis, & amplitudinis habeant, verba facere conſtitui hodierno die: qui finem faciet earum exercitationum, quibus tot annorum curriculo in munere docendi operam dedi; cum Familiæ noſtræ Præfectus, homo mitis, & humanus, me, quamvis non merentem, cum aliis beneficiis, tùm etiam hac honeſtiſsima miſsione, & doctrinæ ornamentis donandum eſſe cenſuerit. Id verò ut faciam, plurima me movent, & impellunt. Primum, obſervantia, quàm erga Pontificem Maximum debet cum primis habere Familia Minorum, in-

numeris cum à Majoribus suis, tùm maximè ab eo beneficiis aucta, & cumulata. Deinde hoc me etiam adolescentibus nostris debere intelligo: quibus cum auream illam, pulcherrimamque doctrinam *de Beatorum hominum Apotheosi* explicare aggressus fuerim, singulos tamen Libros interpretari, ipsa temporis brevitate prohibear, mea cum primis interesse adverti, eorum ut desiderio, ac utilitati servirem, universi operis ideam exponere, & ut Geometræ terrarum, ac marium, corporumque cœlestium amplitudinem intra unam Globi superficiem, angustiasque concludunt, doctrinæ hujus usum, necessitatem, & copiam exiguo unius horæ, & orationis spatio, & lineis comprehendere. Postremò vestra sapientia, & Religio, Viri humanissimi, hæc Civitas, & Academia, hoc denique Sanctissimum Theologiæ Sacrarium, hæc studiis Divinarum rerum consecratæ sedes exigere quoddam veluti jure videntur, ut, non nostra dicam oratione, sed judiciis vestris exornetur doctrina illius, qui divinarum veritatum est indubitatus Interpres, & Magister: nostri verò Adolescentes ad eam excolendam, omnique studio, ac labore sibi comparandam adhortentur. Deum itaque primùm quæso, qui felici hoc exitu labores meos mihi fortunat, ejus deindè castissimam Matrem, im-

mu-

munem ab omni labe primo sui conceptus momento, cujus in me experior, cum olim in omni ætate, tùm hoc etiam die præsentissimi Numinis beneficia: Cœlites demùm omnes, Sanctissimum verò cumprimis Familiæ nostræ Parentem, & Conditorem Franciscum, ut hodiernum diem ad fructus laborum nostrorum augendos, ad amplificanda studia Litterarum, ad gloriam nominis, & vitam Benedicti XIV. quæ omni vita charior est, longo tempore sospitem, incolumemque servandam, ad illius doctrinæ excolendæ studium, & amorem in nobis excitandum illuxisse patiantur. Peto demùm à vobis, Viri doctissimi, ut me, res pulcherrimas brevi oratione comprehendere meditantem, benignitate vestra adjuvetis, à vobis verò, bonæ spei Adolescentes, quibus juvandis, & erudiendis, meus erga vos amor, de ejusdem doctrinæ necessitate, & utilitate dicere, vel potiùs indecorè clamare cogit, ut amicè, & attentè, quæ dicam, audiatis.

Principio igitur positum sit, scientiam *de Beatorum hominum Apotheosi* esse cognitionem earum rerum, quæ in Divorum consecratione legitima positæ sunt: has verò res, quas veluti subjectam materiam contemplatur, & ipsis veluti principiis innititur, esse illius, qui consecrandus est, virtutem, & miracula, ac

potiſsimùm Romani Pontificis ſententiam indubitatam; qui cum omnium Sacrorum ſit Supremus Antiſtes, & Chriſtianæ Religionis Interpres, de virtutum, & miraculorum veritate judicat; & illis, quos cum Chriſto regnare perſpectum habet, honorem ſacrum, cultumque decernit. Ut verò à Philoſophis, & Theologis, quę pertinent ad virtutes, & miracula diſcernenda, ita quæ ad judicium ſpectant, quod de illis in Curia ſeveriſsimum agitur, à Juriſconſultis petenda ſunt. Hinc facillimè quis deprehendet, quantas, & quàm multas doctrinas complectatur neceſſe eſt, qui eam ſcientiam docet, quæ in cognitione verſatur earum rerum, quæ in Divorum conſecratione legitima poſitæ ſunt; nihilque non auguſtius modò, & utilius, ſed etiam difficilius eſſe poſſe, quàm & mente comprehendere, & litteris mandare eam doctrinam, quæ non unius, aut alterius diſciplinæ peranguſtis regionibus circumſcribitur, ſed in illis, & Philoſophiæ, & Legum, & Theologiæ latiſsimis campis liberè pervagatur. Etenim non minus doctè, quàm verè dictum puto à veteribus illis ſapientiſsimis, tria eſſe genera diſciplinarum, quæ cum labore, & copia immenſæ, tùm etiam ſunt longè pulcherrimæ, & non minus Reipublicæ commodis proferendis, quàm ſtabiliendæ, & conſervandæ
Re-

Religioni utilissimæ, Philosophiam nempè, Jurisprudentiam, & Theologiam. De quarum præstantia, & nobilitate, non est à me necesse dici apud eos, qui probè sciunt, rerum omnium, quæ ad rectam vivendi viam pertinent, rationem, & disciplinam trium harum scientiarum studio, & comprehensione contineri: &, si veriùs quàm oratores, loqui velimus, (a) multas Urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias harum vi, ac præsidio comparatas: ex his ad Rempublicam omnia commoda venire, ex his ad illos, qui eas adepti sunt, confluere laudem, dignitatem, honorem: ex his denique, si memoria vetera repetamus, profectum esse, quod solivagi ab initio homines, in agris, & in tectis sylvestribus abditi, in unum locum sociarentur, Divinæ Religionis, humani officii, & Juris æquabilis rationem colerent, cupiditatem frangerent, cœcam, & temerariam animi dominatricem, quæ propter eorum inscitiam, & errorem viribus corporis abutebatur, ceu perniciosissimis satellitibus. Postquam verò Christi beneficio plenior nobis, & liquidior scientia Divinitatis affulsit, clariùs, & veriùs sunt nobis patefacta, quæ à veteribus illis mortalium sapientissimis de Divinis, humanisque rebus do-

(a) Cicer. de Orat.

cebantur; cum Christiana Theologia, reliquarum omnium cognitionum Domina, & moderatrix, scientiæ rerum naturalium, & Juris tantam, eamque Divinam lucem attulerit, ut, quæ antea erant exordium mali, & erroris, sint deindè inveniendæ veritatis, & comparandæ virtutis instrumentum, quò tuta, quò honesta, quò illustris, quò demùm vita jucunda fiat. Verùm ut nullus est inter homines, qui non moveatur desiderio percipiendi eas disciplinas, quibus tantum bonum, tamque optabile propositum est, ità paucos admodùm reperies, qui fuerint in illis tribus satis exculti: & non adumbratam earum imaginem inani verborum strepitu, & apparatu (quod illi solent, qui cum librorum titulos, & rerum in his contentarum indiculum legerint, prætereà nihil, judicium de re qualibet veluti ex tripode pronuntiant elato supercilio, & intoleranda audacia) sed veram, & eminentem earum effigiem perfecta ingenii comprehensione expresserint. Magnum enim opus est, viri ornatissimi, opus est magnum, & difficile, tot res, & tantas unum assequi, cum unaquæque vix diuturna hominis vita videatur esse contenta. Hinc cum earum quælibet subjectas sibi res contempletur, specie distinctas, amplitudine immensas, cognitione sublimes, doctissimis quibusque viris difficillimum

mum semper visum fuit, unam excogitari posse, aut inveniri disciplinam, quæ tres illas ita complecteretur, ut partes essent generis unius: illi verò uni tam arcto fœdere conjunctæ, & colligatæ essent, ut quisquis ad hujus addiscendæ studium incubuerit, reliquarum notitiam eodem tempore, eodemque labore sibi compararet. Scilicèt, Pater Beatissime, Tibi erat hæc gloria reservata, Tibi reservatus hic labor immensus: ad Te, cui in illa immutabili æternitate, divinisque consiliis Sempiternæ Trinitatis decretum erat, esse secundùm Christum Optim. Maxim. Reipublicæ Christianæ caput, & *assistentem Pontificem* (b) *futurorum bonorum*, eamque in terris habere vicariam ipsius Dei potestatem, qua nullis circumscripta finibus, non solùm *à mari usque ad mare dominareris, & à flumine, usque* (c) *ad terminos Orbis terrarum*, sed etiam in Cœlesti illo, ac beatissimo Regno, ubi *ligata* (d) *essent, & soluta, quę ligares in terris, aut solveres*, ad Te, inquam, pertinebat, eam excogitare, & invenire disciplinam, quæ Juris, & Naturalium, Divinarumque rerum scientiam complecteretur: tui ingenii, ac sapientiæ solùm erat, tale opus, ac tantum, cujus speciem quamdam vix ani-

(b) Apost. ad Hebr. cap. 9. vers. 11.
(c) Psalm. 71. vers. 8.
(d) Matth. cap. 18. vers. 18.

Digitized by Google

animo conceptam tenebamus, improbo labore, ac studio perficere, ad defensionem Religionis, ad incrementa litterarum, ad commodum studiosorum omnium, utilitatemque communem. Atque hoc opus, Viri ornatissimi, illud est, quod continet doctrinam *de Beatorum hominum Apotheosi*, à Pontifice Maximo quatuor libris traditam, & comprehensam; de quibus cum à me dictum erit, non dubito, Auditores, quin eos non modò formandis, ornandisque ingeniis triplici illo cognitionum genere, quas suprà diximus, amplos, & magnificos, sed ad perfectissimam quandam, & numeris omnibus absolutam Doctoris Christiani formam assequendam satis esse judicetis. Age verò, quàm ingeniosè in iis, & acutè modum præscribit, expendendi mores, & gesta eorum, qui inter Divos consecrandi sunt, ne ullus in judicio de his faciendo, aditus fraudi, ullus pateat deceptioni locus, ullum deniquè tractanti, contemplantique eas res, errandi periculum afferatur! Quam solidè, quam perspicuè rimatur ea omnia, quæ de authoritate, & officio Judicum, de cognitione causæ, de publicis, & privatis judiciis, de testium, ac testimoniorum fide, deque eorum numero, ac pondere à Jurisconsultis docentur, & explicantur; ut quis planè intelli-

ligat, serioque advertat, in hoc omnium gravissimo, sanctissimoque negotio testes esse debere locupletissimos, summam verò judicii, & testimoniorum fidem, & religionem. Nec verò necessum est, ut dicendo persequar eas Philosophorum doctrinas, quibus ii referti sunt. Nam disserendi ars, & solertia, quæ Dialectica vocatur, ad scientiam earum rerum, quæ in illis explicantur, ita adhibetur, ut per universam implicata, & conferta, penè idem cum ea disciplinæ corpus unumque componat. Neque dicetur à me, contineri in his sapientiam illam maximè generalem, quæ Metaphisica dicitur. Nam ei ut cæteræ omnes, ita hæc doctrina de Apotheosi Divorum quasi famulatur, ab eaque sua principia desumit. Quod cum in omnibus scientiis verum experimur, tum verissimum in juris naturæ, & Theologiæ studiis; ita ut risui pateant, qui nondùm animo metaphisicis doctrinis exculto, eorum, quæ sive Juris Naturalis, & Civilis, ac Pontificiæ Legis periti, sive quæ de Divinitate Theologi docent, scientiam affectant. An verò putatis, nihil in his libris explicari de iis, quæ Physici tradunt, videlicèt de viribus materiæ, de procreatione, modis, & attributis corporum, de eorum conversione in alias formas, & figuras, de violento motu,

de

de subita præsentia eorum in pluribus locis? Nihil de iis, quæ de solis Parrhelio, de Parrasalene Lunæ, aliorumque syderum motibus ab Astronomis, de fluidorum, & solidorum pondere in Statica, & Hydro-Statica stabiliuntur? Nihil de his, quæ sive in Anatomia, & Optica de humani corporis sensibus, ejusque textura, deque illius morbis curandis à Medicis definiuntur? Scilicèt Adolescentes optimi, si vos earum rerum studia delectant, non exiguam de iis explicationem ex his libris veluti ex uberrimis fontibus haurietis. Equidem illa eadem nobiliori modo explicantur à Pontifice Maximo, quàm ab earum Artium, & Scientiarum Magistris fieri soleat. Tanta enim sapientia in his tractandis versatur, illud ut efficiat: ut non intra solos limites virium naturæ, non in sola materiæ hujus infima fæce ingenii, & contemplationis acies defixa teneatur, sed lutulentos hosce rerum corporearum, angustosque fines prætergressa ad clarissimam illam evehatur, defæcatissimamque lucem incomprehensæ Sapientiæ, & potestatis Divinæ: ut indè cognoscat, quæ contra illarum rerum naturam, quæ præter naturæ leges, quæ demùm suprà vires illius à Supremo illo, ac præpotente Deo ad ostensionem, confirmationemque veritatis effecta sint, & quantum inter-

ter-

tersit discriminis vera inter & falsa miracula, perspicuè deprehendat. Quid de illa scientia dicam, quæ Divinæ Sapientiæ thesauros hominibus recludit, & tanto ceteris omnibus antecellit, quanto æterna nativis, immortalia caducis, Divina præstant humanis: ejus verò addiscendæ studium, cuique Christiano homini, ac viris potissimùm Deo dicatis reliquarum studio anteponendum est? Quid enim est, quod illi scholæ Principes, & Coriphæi de Dei veracitate, de Divina gratia, de Virtutibus, de Legis Evangelicæ Sacramentis, & Præceptis, de Miraculis, de septem Donis Spiritus Sancti, mira ingenii subtilitate, ac soliditate argumentorum confirmavere, quod in his libris non doceatur? Quamquam enim in ipsis illa desit, tot, tantarumque quæstionum copia, quæ in Scholis agitantur; illa tamen principia, & notiones veluti semina quædam in illis sparguntur, quibus facilè se quisque possit ab illarum Disputationum laqueis, & ambagibus expedire. Probè enim novit Pontifex sapientissimus: morosos illos, ac delicatos, quibus Scholasticæ subtilitatis genus omne displicet, satis iniquè, & importunè facere: qui quatenùs culpandus sit ejus usus, & à communione Christianæ sapientiæ majorum judicio rejectus, vel propter eorum tar-

di-

ditatem non intelligunt, vel nequiter, & calumniosè disſimulant. Ego equidem illud minimè negaverim, intra modum, rationemque contineri induſtriam Theologi Chriſtiani oportere, cum in Theologicis caſtris non tàm rationis in diſputando, quàm authoritatis momenta quærenda ſint: modis præterea omnibus curandum eſſe, nè ſubtilitas humani ingenii, & rationis propriis egreſſa finibus, & altiùs, quàm pro conditione, captuque ſuo pervolans, Divinis ſeſe rebus immiſceat. At Scholaſticorum ſubtilitate, & methodo, qui totam aſſerunt fædatam,& adulteratam Theologiam, atque in ſophiſticam tranſiſſe verſutiam, priſtina gravitate, ac majeſtate funditus amiſſa, non modò damnantur erroris, ſed etiam retunduntur, ut tandèm aliquando ſtultè moleſti eſſe deſinant, Pontificis talis, ac tanti exemplo, & authoritate convicti; contenti verò ſint ſorte ſua, uno nimirùm die repentè ſe Theologos evaſiſſe. Quanta verò eruditionis copia veneranda illa Chriſtianæ antiquitatis monumenta, in his libris afferuntur, expenduntur, illuſtrantur? Agedùm, qui mos illorum temporum, qui ritus, quæ cœremoniæ, quæ Religio in cultu ſacro fortiſsimis illisChriſti Militibus decernendo: quo tempore hic cultus incœperit, quibus in Conciliis adversùs
Hæ-

Hæreticorum audaciam confirmatus: quæ ab ipsa Apostolorum ætate fuerit universæ Christi Ecclesiæ Fides, quæ Ecclesiæ Romanæ, reliquarum omnium Magistræ, quæ Alexandrinæ, quæ Carthaginensis de hujus Dogmatis veritate sententia, & consensus, docetur in his libris, & explicatur. At quis cuncta enumeret, quæ sunt propemodùm infinita? Dicam tamen, si potero breviùs, & paucis singula complectar. Quid docent Catholicorum Dogmatum Interpretes, & Doctores? Quid Artis Criticæ Magistri? Quid Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ? Omnia in his libris traduntur, ita tamen ut hisce ipsis de rebus simpliciter, & candidè, nunc sine ulla Disputationum serie tractetur, & sine jejuna concertatione verborum, nunc uberrimè, & pro rei dignitate, conquisitis undique argumentis. Ut enim est omninò ars ulla, in qua omnia, quæ in illa arte effici possunt, à Doctore tradantur, sed qui primarum, & ceterarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua per se non incommodè persequuntur: ita, benè quidem, ac sapienter arbitratus est Pontifex Maximus in hac tot, tantarumque diversarum rerum cognitione tradenda, quæ *in Divorum consecratione legitima positæ sunt*, qui iis doctrinis, & principiis instructus sit, ut quæ à Philosophis, & Ju-

Jurisconsultis, quæ à Theologis, Historicis, & Criticis uberrimè sunt tractata, non modo facillimè per se intelligere, sed contra quos, aut pro quibus dicat, commodè adhibere possit, hunc de toto illo genere rerum non plus quæsiturum esse, quid dicat, quam Polycletum illum, cum Herculem fingebat, quemadmodum pellem, aut Hydram fingeret, etiamsi hæc nunquam seperatim facere didicisset. Videtisnè, quantum munus sit hoc opus, in quo doctrina *de Beatorum hominum Apotheosi* explicatur? Cui perficiendo, ut Heracleotes ille Zeuxis pingendo Helenæ Simulachro quinque delegisse fertur Virgines Crotonienses, quæ ejus essent judicio probatæ, qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisset, sic Pontifex sapientia, & authoritate Maximus, omnibus unum in locum Philosophiæ, Jurisprudentiæ, & Theologiæ universæ coactis Scriptoribus, quod quisque utiliter docet, excerpsit, & ex variis ingeniis excellentissima quæque libavit; ac studiosorum prætereà commodo ut prospiceret, eos Libros, & Scriptores indicavit accuratè, à quibus de tot, tantisque rebus non magnificentiùs dicam, sed uberiùs aliquando disputatum est. Nam licèt nominatim cujusque Doctrinas improbo labore, ac studio conquisitas explicet, atque eno-

da-

datas diligenter exponat: plerisque (*e*) tamen eorum tanta suavitate, & brevitate dicendi præstat, ut nemo illorum Doctrinas ex ipsorum libris agnoscat. Magna hæc, Auditores, magna sunt, & eximia, quæ in hisce quatuor Libris docuit BENEDICTUS XIV: quæve excolendis, formandisque ingeniis triplici illo, quas supra diximus, genere cognitionum, satis esse videntur. At verum, Christianumque Theologum non scientem dumtaxat, & Doctorem oportet esse Divinarum rerum, sed Divinorum etiam operum Auctorem, hoc est, probum, ac sanctum, & Fide, Charitateque præstantem. Qui enim ingenii laude, & copia Doctrinarum abundat, non iis verò floret virtutibus, quæ sunt Christiano homine dignæ, quid aliud esse eum dixerim, quàm (*f*) *æs ingratè sonans, & Cymbalum tinniens injucundè*? Ut verò homini, quæ vera sunt, & recta docenti, minimèque ea exequenti exemplo, & exercitatione virtutum, is maximè excellit, qui ea prosequitur non verbis modò, (*g*) sed factis,

B

(*e*) *Hic Liber grandis est Bibliotheca, & quantitate, & difficultate, & dignitate.* Hugo Card. in Jsaj. cap. 8.

(*f*) Apost. ad Corinth. cap. 13. vers. I.

(*g*) *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Matth. 5. v. 19. Et Jacob. 1. *Qui . . . non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic Beatus in facto suo erit.*

Digitized by Google

tis, non ſolùm ingenio, ſed multò etiam magis pia, religioſaque voluntate: ſic eos Libros longè aliis præſtare affirmo, qui non ſola cognitione humanarum, Divinarumque rerum mentem illuſtrant, ſed excitant voluntatem, & inflammant ad optima quæque ſectanda, ad virtutes imitandas ſanctiſsimorum hominum, ad ipſum Deum caſtè, integrèque colendum. Hæc etenim, Auditores, hæc eſt perfecta illa Doctoris Chriſtiani forma, hæc illa Theologia, verè ab ipſo Deo profecta, hæc illa eſt (*b*) *ſcientia Sanctorum*, qua Princeps ille Deus *juſtum hominem per vias rectas deduxit, qua labores illius honeſtavit*, qua deniquè nos omnes, ut credimus, & ſperamus, beatiſsimis illis, immortalibuſque gaudiis remuneraturus eſt per totam æternitatem. Quid enim? tuamnè ego Theologiam, ſceleritate Ari, & Pelagij, tuam, furioſe Juliane, & Sabelli, dignam Chriſtiano homine putem, quæ veluti venenis imbuta malis, non veſtrum modo, ſed & multorum animos infecit, corrupit, perdidit? Tuam, iniquiſsime Calvine, & Luthere, tuam, impie Socine, & maledicte Spinoſa (quem cum nomino perhorreſco) veſtros ego Libros, non à Chriſtianis dicam, ſed à reliquis homini-

(*b*) Sapient. cap. 10. verſ. 10.

nibus, ſuper quos *ſignatum ſit* (*i*) *lumen vultus Dei*, licèt veræ Fidei ſplendor non iis affulſerit, veſtros, inquam, libros, ò Furiæ, ab ipſis legendos putem, non veritate, ſed mendaciis, non ſapientia, ſed amentia, non candore, ſed fallaciis refertos, non rationis lumine, ſed teterrimis Dœmonum furialium facibus afflatos, & ſcriptos, ad humanam Rempublicam, ad omnem Religionem, ad humanitatem ipſam extirpandam, perturbandam, evertendam? Avertat Deus, Auditores, tantum à nobis malum avertat: quod quaſcumque terras attigit, adeò crudeliter in iis graſſatum eſt, ut miſerrimam intulerit Chriſtianæ rei vaſtitatem. Vos, Adoleſcentes, abhorrete ab hujuſmodi librorum lectione, qui non hanc lucem aſpicere, non attrectari manibus, non videri oculis Chriſtianorum, ſed iiſdem tradi merentur ultricibus inferorum flammis, ac ſempiternis, quibus illorum Authores horribiliter devorantur. Eos execremini, ceu monſtra, & peſtes humani generis, non Dei, non hominum, ſed Diaboli primogenitos, non ex hominibus natos, ſed ex Orci faucibus eductos: eorum diſcipulos præterea abominemini, quos inſequens ætas tulit, *Belios* dico,

B 2 *Uvolſ-*

(*i*) Pſalm. 4. verſ. 7.

Digitized by Google

Uvolstonios , *Clericos* , *Turretinos* , aliosquē benè multos desertores Christianæ Religionis, Sacrorum omnium, & Ecclesiæ Catholicæ hostes nefarios , & pestilentissimos. Evolvite, evolvite Libros BENEDICTI XIV., insumite in his legendis dies, noctesque: quos certò scio, quum ingeniis vestris ad doctrinam , tum ad virtutem assequendam vestris voluntatibus profuturos. Vos verò , Viri doctissimi , vestros, quæso, animos intendite , vestramque, oro vos, renovate mihi atentionem, melioreque voluntate orationem meam ad exitum usque prosequiminor. Dicendum enim est de illo, qui ex hisce Libris capitur , sapientiæ fructu, qui solus est naturale quoddam quasi pabulum cum Christianorum hominum, tum maximè Theologorum. Etenim *si modestiam*, ut est à Cicerone præclarè dictum, (j) *si magnitudinem animi , si justitiam affert cognitio rerum Cœlestium*, iis, qui cognitum habeant, quod sit Summi Rectoris, & Domini numen , quod consilium, quæ voluntas: quantas in animos nostros horum Librorum lectio virtutes infundet, quam erga superos pietatem , quam deniquè erga Deum reverentiam, & cultum, cum ex his discamus, quibus constet gradibus virtus

(j) Libr. 4. de Fin.

tus Christiana, quos nostri illi fratres, Catholicæ Religionis defensores pertulerint immanes cruciatus, quo demùm divino munere, qua vi, quantoque labore cupiditatem illam edomuerint adversantem Legi? Jam verò postquam menti illustrandæ explicatum in his libris est, quo nimirùm modo Deum orando, & contemplando, colere debeas, Heroèm esse neminem, qui Christianæ virtutis non infimum, non medium, sed supremum gradum attigerit, ejusque effigiem non expresserit moribus pulcherrimam, & eminentem, tum inflammandæ voluntati præclara sanctissimorum hominum afferuntur exempla, (*k*) qui supra naturæ humanæ conditionem, supra ætatem, supra mortalitatem eam virtutis formam, & pulchritudinem Dei munere sunt assequti. Atque ea omnia cum quis didicerit, qui ferreus non emolliatur animus, quæ frigidissima voluntas ad illa eadem sectanda, & facienda non (*l*) accendatur? Quàm altè confirmatur Fides, quàm latè Spes augetur, Charitas quàm vehementer inflammatur, cum illam legamus eorum in periculis fortitudinem, in doman-

 dis

(k) *Narrat autem gesta Sanctorum, & ad imitationem corda provocat infirmorum.* S. Greg. lib. 2. Mor. c. 1.

(l) *Exempla Sanctorum, quibus ædificatur homo, varias faciunt conjectari virtutes.* S. Isidor. 2. Sentent. cap. 11.

dis cupiditatibus, & libidinibus corporis coercendis assiduam asperitatem, & severissimam, in injuriis altitudinem animi, in laboribus patientiam, invictam denique constantiam in exquisitissimis, acerbissimisque suppliciis, quæ virtutis assequendæ, & defendendæ Religionis amore *adversus mundi* (*m*) *hujus tyrannos Principes*, *&* *Rectores tenebrarum* in unius Dei gloriam, & solatium Ecclesiæ Christi universæ sustinuerunt. Illud verò cum legimus, nulli hominum à Romano Pontifice sacros honores decerni, nisi Divini Spiritus afflatu, certissimoque lumine edoctus, perspectum habeat, eos in Cœlis cum Christo regnare, *gloriæ Conditoris assistere*, *præsentem cernere vultum Dei*, (*n*) *ad illam denique accessisse Civitatem Dei viventis*, *Jerusalem Cœlestem*, *ad illam Ecclesiam primitivorum*, *ad illam multorum* (*o*) *millium Angelorum frequentiam*? annon repentè desiderium illud Pauli excitatur, ut *cupiamus* (*p*) *dissolvi*, *&* *esse cum Christo*; mens verò nostra annon ita erigitur, ut in altum evecta humana despiciat, cogitansque supera, atque cœlestia, hæc nostra, ut exigua, & mini-

(*m*) Ad Ephes. 6. vers. 12.
(*n*) S. Gregor. homil. 37. in Evangel.
(*o*) Apostol. ad Hebr. 12. vers. 22. & 23.
(*p*) Ad Philipp. 1. vers. 23.

nima contemnat? Ecquid verò aliud ab æternorum, Divinorumque bonorum contemplatione animum avertere, quid convertere eum poteſt ad curas vaniſsimas fluxarum rerum? An eorum hominum doctrinæ, quæ eò perniciosiores ſunt, quò latentem peſtem, & errores ſimulata Religionis imagine circumdant, & ceu ementitis, fictiſque floribus veritatis exornant? An illæ teterrimorum Dæmonum præſtigiæ, ac fraudulentæ illuſtrationes, quibus ſæpè deceptæ mentes mortalium, non in illa ſempiternæ, divinæque veritatis luce verſantur, ſed in horrenda, ac miſerabili caligine errorum? At omnia in his Libris explicantur: via aperitur, qua illarum doctrinarum fraudes, occultaſque inſidias, & monſtra diſtinguas: quæ viſiones dicendæ ſint ab ipſo Deo profectæ, vel ab illo Principe tenebrarum, & mendacii, quæ demùm ſupra naturam, quæve ſint perturbati viſus ludribria, aut præconceptæ rerum imagines animo inſidentium, è quadam quaſi impulſione extrinſecùs oblatæ. Vos nunc Hæretici infames, vos iterùm appello, dicetiſne fallere, & falli Romanum Pontificem in judicio de Virtutibus, & Miraculis, deque eorum doctrina, quibus ſacrum cultum decernit, quod tanta ſeveritate peragitur, tanta ſapientia, & religione? Dicetis

fraude, & calliditate hasce omnium gravissimas causas agitari, testes absque delectu non tàm audiri, quàm emi, non tàm examinari testimonia, quàm fingi, miracula denique non tàm facta verè fuisse, quàm excogitata, & inventa, ad imponendum populo, ad auri copiam, & argenti trahendam in Urbem, ad vesanos gentium ritus, & inanium Deorum superstitionem, non ad pietatem augendam, confirmandamque Religionem? O mendacium incredibile! O vituperationes iniquas! O impudentiam non ferendam! Verùm non damnati modò, sed convicti estis erroris, & mendacii. Audaciæ vestræ, & contumeliis omnem aditum interclusit BENEDICTUS XIV, vestrisque odiis, & mendaciis adversùs Ecclesiam Romanam, si non extinguendis, & refrenandis, exprobrandis saltem, & redarguendis, totam Judicii seriem, quod in Curia de hisce rebus habetur, exposuit quatuor Libris. Quæ callidè à Pontificibus occultari dicebatis, patent jam omnium oculis, edita sunt in lucem, & publici Juris facta. Quid itaque mussitatis, ò truces! Tantumne audetis, ut nos dicatis inventores arbitrarios Miraculorum? Nolo nunc vobiscum agere argumentis: sanè disertus esse possem, si contra ista dicerem, quæ sunt mendaciorum portenta,

&

& impietatis effrenatæ deliria. Hoc tantùm à vobis peto, nobis ut unum ab hominibus communionis vestræ patratum miraculum objiciatis. Fuit, fuit tempus illud, quo Majores vestri, & regiones à Deo Parente salutis nostræ tanto munere donabantur. At ab eo tempore, quo ab Ecclesiæ Romanæ communione recessistis, *obscuratum est aurum, mutatus* (q) *est color optimus*, odit Deus sacrificia vestra, nulla edit miracula ope vestrorum hominum. Vos verò tàm estis honesti, & religiosi, illa ut columbæ simplicitas, qua Christus florere voluit Apostolos suos, tota quanta maxima esse potest, animis, mentibusque vestris sola dominetur. Nos imponere, nos miracula fingere didicimus; vos non abhorretis modo à tanto scelere, sed nec ideam quidèm illius concipitis, ejusque patrandi modum prorsùs ignoratis. Scilicet illa nos præstigiarum plena Magorum Ægyptiorum doctrina floremus: Vos verò non hanc modò non tenetis, sed ne illam quidèm Mosis sapientiam divinam. O simplicitatem singularem! O ignorantiam sapientia ipsa præstantiorem! Abhorrent simplices isti, nesciunt, ignorant miracula fingere: illud dumtaxàt possunt, illud callent, illud perfectè sciunt, veram Ecclesiam onerare calumniis, sa-

(q) Jerem. Lament. cap. 4.

ſacrum cultum Sanctiſsimis Viris decretum projecta conſcientia odiſſe, dura cervice *reſiſtere* (r) *Spiritui Sancto*, veriſque miraculis adverſari. At veſtris illis columbarum oculis caſtiſsimis percurrite Libros BENEDICTI XIV. in his quàm ſeverè teſtimoniorum vis, & teſtium fides expendatur, quanta ingenii contentione, & ſapientia de vita, & rebus geſtis, deque miraculorum, veritate in utramque partem diſputetur, nullumque eorum probari ceu verum, & Divinum comperietis, quoad ſolidè id, & clariùs ipſa luce fuerit demonſtratum. Quare cum vera efficiat miracula Deus ille verus, & immortalis in Romana Communione, nec ea poſsit efficere in confirmationem erroris, & mendacii: (niſi Deum in nobis fallendis delectari, indeque Deum ipſum de medio tollere velitis) eſt igitur Romana Communio vera Chriſti Eccleſia, eſt *columna*, & *firmamentum* (ſ) *veritatis*, eſt deniquè Romanus Pontifex Chriſti Vicarius, ac certa eſt ejus ſententia,& judicium indubitatum. Vos autem qui à Romana Fide eſtis alieni, qui Chriſti Vicarium, qui ſacrum cultum Beatiſsimis illis, Sanctiſsimiſque Viris decretum, non amore, non ſimplicitate, non demiſsione animi, (quæ

(r) Act. Apoſtol. cap. 7. verſ. 51.
(ſ) 1. ad Timoth. cap. 3. verſ. 15.

(quæ propria ſunt hominis Chriſtiani) ſed odio, & maledictis, impetuque nefario inſectamini, membra eſtis non Chriſti, ſed Dæmonis, non illi Divino Capiti conjuncta, ſed ab eo avulſa, & reſciſſa: *eſtis denique ipſo veſtrum* (t) *judicio condemnati*. Verum quid eas loquor *aſpides ſurdas*, (u) *quæ obturant aures ſuas*? Ad vos ſe convertit oratio mea, optimi Adoleſcentes: eminentem ego in frontibus, oculiſque veſtris intueor hujus doctrinæ addiſcendæ cupiditatem; ex qua cum tot, tantoſque fructus capere vos poſſe intellexeritis, video vos, ad eorum Librorum, in quibus ea tradita eſt, lectionem non excitatos modò, ſed ardentiſsimè, & vehementer inflammatos. Equidem minimè dubito, vos cum in hac doctrina quàm maximè profecturos, tum hiſce rerum ſtudiis Religionis, & Patriæ, atque litterarum præſidio, gloriæ, & ornamento futuros. Quamquam enim in his florentiſsimis Hiſpaniarum Regnis hæreſes non modò profligatæ ſint, ſed ita extinctæ, & ſuffoſſæ, nullum ut ſit periculum, ex illis, non flammas dicam, ſed fumum, nec leviſsimum quidem emiſſum iri; hæc tamen ſtudia doctrinarum, & Librorum BENEDICTI XIV. vobis non utilia modò arbitror

(t) Ad Titum, cap. 3. verſ. 11.
(u) Pſalm. 57. verſ. 5.

trot esse, sed & necessaria. Vestra enim interest potissimùm, Americam fermè universam, cui Catholici Reges non minus pietate, quàm potestate suprema dominantur, illustrare luminibus doctrinæ, & Religionis; Sanctissimum Christi nomen, & Fidem prædicare iis gentibus, illam dispergere, qua obruuntur, fatalem caliginem superstitionis, homines deniquè ipsos, qui feras immanitate vincunt, docere humanitatem, & mansuetudinem Christianam. (x) Recordemini intereà Sanctissimos illos, doctissimosque homines, inspicite eorum imagines parietibus Scholæ hujus, non tàm ornamento affixas, quàm vobis ad optima quæque rerum studia excitandis: cogitate Canos, Alfonsos à Castro, Suarios, Horantios, Vegas, aliosque, à quibus non Scholastica modo Theologia incrementum accepit, sed eos veluti Parentes agnoscit illa Theologiæ pars nobilissima, quam Dogmaticam appellamus: hos deniquè, quos hìc intueor, & colo, præstantissimos Viros contemplemini; à quibus vos doceri, non sine numine, maximaque fortuna vestra datum vobis esse, putare

(x) *Quantum in Hispania necessaria sint Theologiæ Dogmaticæ studia, allud argumentum profert doctissimus P. Mariana à Societ. Jesu in libr. de Rege, & institutione Regis* lib. 3. cap. 2. *de Episcopis*, circa medium.

re debetis. Atque domeſticis hiſce exemplis incitati, exerite vires veſtras, Hiſpani juvenes, ut pulcherrimam hanc, ſanctiſsimamque doctrinam *de Beatorum hominum Apotheoſi* in veſtram redigatis poteſtatem. Vos equidem, quorum ingenia in ſcholaſtico pulvere diù, multumque exercitata, ſunt tamquam ſolum benè ſubactum, certò ſcio, non mediocrem ex horum Librorum lectione, ſed maximum, uberrimumque fructum eſſe percepturos. Quod ſi à me percontaremini, an vobis ad doctrinam utilius eſſet necne, eos Libros, ab his, quos hìc habetis, doctiſsimis Magiſtris, dictando, & interpretando, vobis explicari, id ego non affirmarem modo, ſed iterum, atque iterum precibus infimis exorarem, ut ipſi, vobis juvandis, & erudiendis, doctrinam hanc, ſi non diſputando, & altercando, docendo ſaltèm, & commentando traderent. Quod cum poſtularem, quid demùm aliud à me peteretur, quàm ut illa etiam laude, & gloria Complutenſis Academia floreret, quam ſibi maximam Conimbricenſis, & Romana (*y*) compararunt: à quibus novi adſciti ſunt, iique Sapientiſsimi Ma-

(*y*) In Collegio Romano Societatis Jeſu inſtituta eſt Schola, in qua Reverendiſsimus Pater Azevedo, ejuſdem Societatis, Sacrę Congregationis Rituum Conſultor, eoſdem Libros publicè docet. Vide etiam elegantiſsimam eorumdem Librorum ſecundam editionem; procurante Academia Conimbricenſi, Romę peractam.

92

Digitized by Google

Magiſtri, ac deſignati, qui aureos hoſce Libros Adoleſcentibus ſtudioſis publicè interpretentur? Quod ſtudiorum genus ut minimè eſſet ab hujus Academiæ dignitate alienum, ita neque novum dici poſſet, & inuſitatum. Etenim Sacra Biblia annon ex Academia Complutenſi ad Eccleſiæ univerſæ utilitatem multiplici lingua vulgata ſunt magni illius ex Familia noſtra Cardinalis Ximenii ſumptibus, & auſpiciis, hominumque doctiſsimorum diuturno labore? Annon à ſæculi XIII. initio uſque ad Sixti IV. Pontificatum ſeptem Concilia, quæ Diœceſana dicuntur, (z) in hac ipſa Civitate coacta ſunt, in quibus

(z) Concilia, præſidentibus in iis Archiepiſcopis Toletanis, Compluti celebrata fuere

I. ann. 1325. II. ann. 1326. Præſide in utroque *D. Joanne.*
III. ann. 1333. Præſide *D. Eximeno* (aliàs Simone) de Luna.
IV. ann. 1347. authoritate *Ægidii.*
V. Pręſide *D. Petro Tenorio* ann. 1379. VI. ann. 1400.

In quatuor prioribus actum eſt *de Reſtauranda Eccleſiaſtica Diſciplina.* Quintum celebratum fuit, ad deliberandum, *cuinam parendum eſſet tamquam vero Pontifici, an Urbano VII. an potius Clementi VII.*

In ſexto decretus *eſt receſſus à Benedicto XIII.* quod abdicare nollet; & electio, veri atque explorati Pontificis ad Æcumenicum Concilium fuit remiſſa.

Poſtremum, quod *Conventus Theologorum* appellatur ab Eruditiſsimo Cardinali *Aguirre*, ad refutandos errores *Petri de Oſma*, coactum eſt. Hoc unicum eſt ex Conciliis Diœceſanis, ut advertit doctiſsimus *Canus de Loc. Theolog.* quod fuerit à Romano Pontifice confirmatum. *Collect. Conc. Hiſpan. Cardin. Aguirre tom. 3.*

bus edita sunt Sanctissima Decreta, turbulentissimis illis Ecclesiæ temporibus salutaria, varii demùm errores detecti, & profligati? Quid? An dedecere dicam hæc studia, Adolescentes, vestram indolem, & ingenium? Si id affirmem, equidem mentiar. De vobis ego id audivi ab iis Viris, qui ut sapientiæ laude excellunt, & Religionis conservandæ, ac pietatis studio flagrant, ita ejus immutandæ periculum timent, si quæ sanctissima dogmata venerari, & credere debet Christianus, scholasticis ea disputationibus subjiciantur apud Adolescentes Hispanos, quorum, ut est perspicax ingenium, inquiunt, & ad magna natum, sic natura ipsa fervidum est, & ardens maximè. Qui timor, & scrupulus si tantam vim habeat, Adolescentes, ut vobis ejus studia Theologiæ, quam Dogmaticam dicimus, interdicantur, nihil ergo *de Scientia, & Voluntate Dei*, nihil *de Possibilitate*, ut ajunt, *Incarnationis Divini Verbi*, nihil *de Merito, & Satisfactione Christi*, & ut infinita alia omittam, de quibus quotidie à vobis disputatur in Scholis mira ingenii contentione, & clamoribus sempiternis, nihil *de Existentia, & Unitate Dei*, nihil demùm *de Animorum immortalitate*, quæ præcipua sunt veræ, & Christianæ Religionis fundamenta, vobis tradatur. Annon confirmari Fidem, pieta-

tatem augeri, ſtabiliri demùm Religionem Chriſtianam, paulò ante demonſtravimus, hiſce rerum ſtudiis,& lectioneLibrorumBENEDICTI XIV? Præterea annon ex ea eſtis Natione,cujus, vel ipſum nomen Hæretici execrantur?(quod cum de vobis dico,nihil certè majus ad gloriam, nihil ad veſtram laudem excellentius dici poteſt.) Revocate, quæſo, revocate in memoriam, quàm fortiter adverſus inimicos Crucis Chriſti populares veſtri dimicaverunt? Quis perfidam Judæorum, & Maurorum gentem exilio, & armis, &,quod pluris facio,odiis ſempiternis inſectatus eſt? Hiſpani. Quis in Africa, quis in America vexillum Crucis in media Gentilium, & Mahumetanorum barbaria poſtremis hiſce temporibus erexit? Hiſpani. Quis publica lege lata declaravit infames, omnique ſpoliavit ſplendore avitæ nobilitatis, non eos modo, qui primi Catholicæ Fidei adverſarentur, ſed etiam natos ab illis, & procreatos, quamquam hi caſtiſsimè colerent Orthodoxam Fidem, & Legem? Hiſpani. Quare cum conſtantiam illam Majorum veſtrorum pro veteri Religione retinenda, illudque ſempiternum odium, atque ſanctiſsimum adverſus omnem novitatem, vos Adoleſcentes, ſuxeritis ſimùl cum lacte nutricis, ac ſenſibus intimis habeatis infixum: cum

vestri prætereà Populi, & Regiones tot salutaribus institutis sint ita munitæ, & septæ, ut ad eas ista bellua minimè aspirare possit, quod, quæso, malum, quod periculum immineret, si vobis doctrina *de Beatorum hominum Apotheosi* publicè doceretur? Equidem eam Hydram non Indus, non Sarracenus, Occeanum Athlanticum, & Mediterraneum Mare, non ullùs Hæreticus Alpes Hispanas trajicere potest, eamque vestris terris, & domiciliis inferre. Noverunt enim, semper à vobis eam fuisse jugulatam, ipsamque, vel longo intervallo positam vereri, ac pertimescere conspectum Hispaniarum. Cogitate demùm in ea vos natos esse Regione, quæ est virtutis, & sanctitatis Seminarium: pluriumque hominum è gente vestra sacro cultui promovendo vobis esse in Curia laborandum. Quod ego cum mecum reputo, illud liberè affirmo, Librorum BENEDICTI XIV. lectionem, & studium ad vos potissimùm pertinere. Te itaque, PONTIFEX MAXIME, ac SAPIENTISSIME, Te nunc demissis precibus oro, mihi ut veniam largiare, si minus dignè, quàm par erat, ac ornatè de præstantia, & utilitate Librorum tuorum est à me prædicatum. (a) Id sanè à me factum est, non

(a) *Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior est.* S. Hieronym. Epist. ad Paulin.

ut maximam illam ſapientiam tuam traditam in his Libris, aut à me ingenio comprehendi crediderim, aut laudibus exæquari poſſe; ſed ut adoleſcentes noſtros ad tot, tantoſque fructus ex eorum ſtudio, & lectione capiendos incitarem: ſimulque hac laboris exiguitate cum maximum erga Te cultum, & obſervantiam Familiæ noſtræ univerſæ, tum etiam pro tuis in nos immortalibus beneficiis, ſi minus gratiam (abhorret enim noſtra tenuitas ab hujuſmodi verbo) at ſimilitudinem certè aliquam gratiæ Tibi à nobis referri ſignificarem. Tu etenim ex ea es ampliſsima Familia, quæ Ordini Minorum in tua Bononienſi Civitate latum illum terræ, locique ſpatium, & ingentem ſubſidiariæ pecuniæ copiam, extruendo Cœnobio, Virgini Maximæ ab Angelo ſalutatæ ſacro, largita eſt: quæve noſtrum decori, & ornamento *Joannam* illam *Lambertinam* ſanctitatis fama percelebrem noſtro ſodalitio peperit. (*b*) Quam verò multa nobis, & illuſtria in omni vitæ tuæ conditione beneficentiæ erga nos tuæ argumenta dediſti? Quantos ſuſcepiſti labores, antequam ad tantum culmen Principatus aſcenderes, in ſacro cultu promovendo ſanctiſsimorum hominum Familiæ noſtræ

(*b*) Vide allocut. Pontifi.

træ? (*c*) Quanta nos omnes charitate, quanto ſtudio, & amore complexus es? Hoc verò tempore cum in Suprema ſis humanæ dignitatis arce conſtitutus, quantis ex ſodalitio noſtro Sanctiſsimis Viris religioſum cultum decreviſti? (*d*) Quantum ampliſsimis officiis tuis, & charitatis ſignificationibus auges, & exornas Familiam noſtram univerſam? Tu enim hiſce poſtremis menſibus primariosPatres, qui ad Comitia Romam convenerant, perhumaniter habuiſti; tum de creando Præfecto deliberantes, uti publicæ rei noſtræ bono conſulerent, vehementer es cohortatus. Quid plura? Ipſe talis, ac tantus Pontifex, Auditores, cum in Templo Aracœlitano habenda comitia decreviſſet, ea demùm præſentia ſua ornavit, nobiſque ſuffragia ferentibus judicio, auctoritate, ſapientia præfuit: inopiam noſtram tantæ multitudini alendæ liberalitate, & muni-

(*c*) Cum juvenili adhuc ętate inter Advocatos Conſiſtoriales eſſet cooptatus, inter Sanctas, eo promovente, fuit adſcripta S. Catharina Bononienſis: Cum eſſet Fidei Promotor, Sancti Jacobus Picenus, Franciſcus Solanus, & Margarita Cortonenſis: quinque verò inter Beatos, ſcilicèt, Joannes de Prato, Salvator ab Horta, Liberatus à Lauro, Andreas de Comitibus, & Hiacyntha Mareſcotti.

(*d*) Videlicèt S. Petro Regalato, Benedicto à Sancto Philadelphio, Pacifico à Ceredano, Coletæ, & Joannæ Valeſiæ,

ficentia ſublevavit ; ac demùm beavit nos omnes , ubi ſanctiſsimos pedes , antequam Comitia diſſolverentur , obtulit in Aracœlitano Templo ad oſculandum, maximo ſanè incommodo , quod tribus fermè horis ſuſtinuit , atque incredibili benignitate. Vos itaque , optimi Adoleſcentes , urgete conſtanter propoſitum , & aurea doctrina illarum rerum , quæ *in Divorum conſecratione legitima* poſitæ ſunt, imbuite animos , menteſque veſtras aſsiduo labore , & ſtudio diligenti. Eos Libros cum manibus , & ingenio verſatis , vobis ad doctrinæ , ac pietatis ſtudium inflammandis , illud vobiſcum reputate : Magiſtrum à quo docemini , eſſe BENEDICTUM XIV. non *auctoritate* modo , & *ſapientia* MAXIMUM , ſed etiam *Virtute* , & *Religione.* (e) Quid enim vobis dicam de pietate ejus erga ſuperos inuſitata? Quid de ardentiſsimo ejus amore erga Cœleſtem illum, ac Sacroſanctum Angelorum Panem, ad quod venerandum , vel ullum diem præterire ſinit , aut ventis , & pluvia , aut nive , & calore impeditum, quo Templa non adeat, in quibus quadraginta horarum ſpatio omnium oculis patet , & colitur majori pompæ apparatu , & frequentioris Populi religione ? Quis præ-

(e) *Primus enim diſcendi ardor* , ajebat S. Ambroſ. *nobilitas eſt Magiſtri.*

præterea oratione consequatur, quantam adhibuerit curam mens illa sanctissima, ac propè Divina, & quam præparationem solemnitati illius anni (qui proximè effluxit) celebrandæ: quive à nobis, ut olim à Populo Dei, Jubilæus dicitur, & Sanctus, & annus remissionis? Vectigalia imminuta: conducta annonæ copia, domicilia publica opibus ornata, & aucta: Religiosissimi Viri ad prædicandum Populo selecti, ac designati. Ipse in Templis, ipse in plateis, ubi erat publica Concio, ad Sacros Oratores præsentia sua inflammandos, ad excitandum exemplo suo Populum universum. Ecquis anno præterito Romam advenit, quem summa clementia, & charitate non fuerit complexus? Quoties ego vidi, eum lavare Peregrinorum pedes, iisque ministrare, ubi consistebant ad mensam exquisitissimis cibis extructam! O virtutem divinam, eoque Pontifice dignam, quem alterum quasi Christum inter homines esse confitemur! Quid restat, nisi ut Deum, & Virginem Maximam, Cœlites deniquè omnes oremus conjunctis & vocibus, & animis, ut diuturno tempore sospitent Pontificem talem, ac tantum, eique dent benè longam, & fortunatam ætatem? Id, PATER SANCTE, Tibi precabitur continuis precibus Ordo Minorum, id Academia Complu-

96

tensis:,id Religiosissimorum hic FratrumConventus ab illo potissimùm, cujus hìc corpus summa religione colitur, DIDACO SANCTISSIMO: id demùm ego quantumlibet indignus sim, quem Tu, & judiciis tuis honestavisti, & doctrinæ tuæ splendoribus exornas. *Reflorescat*, PATER SANCTE, *caro tua*, (*f*) *renovetur ut Aquilę juventus tua*, (*g*) *intende*, PATER MAXIME, *intende, prosperè procede, & regna.* (*h*)

Vos, Viri doctissimi, si pro vestris immortalibus in me beneficiis parum vobis cumulatè gratias egerim, quæso, obtestorque, ne meæ naturæ potiùs, quàm magnitudini vestrorum beneficiorum id tribuendum putetis. Quod igitur opis meæ est, ago vobis gratias quantas maximas possum; verùm ut apud summos viros fieri solet, sentiendo copiosiùs, quàm loquendo. DIXI.

BE-

(*f*) Psalm. 27. vers. 7.
(*g*) Psalm. 102. vers. 5.
(*h*) Psalm. 44. vers. 5.



BENEDICTO XIV.

REI CHRISTIANORUM PUBLICÆ

P. O. M.

REGNIQUE IN TERRIS DEI SUPREMO PRINCIPI,

MAGISTRO INFALLIBILI, PASTORI SANCTISSIMO,

HAS THEOLOGICAS THESES EX AUREIS LIBRIS de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione desumptas, & in Collegio Complutensi defendendas

D. D.

FRATER FRANCISCUS ANTONIUS MARIANI de Corbaria, Ordinis Minorum Sancti Patris nostri Francisci Almæ Observantis Provinciæ Principatus. Publicè disputabuntur Compluti diebus 4. & 5. Februarii ann. 1751.

Digitized by Google

Conſiderantes multitudinem Librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes hiſtoriarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut eſſet animi oblectatio: Studioſis verò, ut faciliùs poſsint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur. *Lib. 2. Macchab. cap. 2. verſ. 25. & 26.*



CUM ad hanc Civitatem, PATER BEATISSIME, Litterarum, & ſapientiæ ſtudiis toto Orbe celeberrimam, me Familiæ noſtræ Præfectus miſiſſet, in qua munus docendi Adoleſcentes noſtros Sacram Theologiam, multis ab hinc annis mihi demandatum, explerem, indèque ea caperem ornamenta doctrinæ, quibus donari ſolent noſtrates, qui ſtatuto annorum ſpatio in eodem munere, ac laboribus ſe exercent; arbitratus ſum, nihil à me fieri poſſe cum mihi tum Adoleſcentibus noſtris utilius ad doctrinam, quàm aureos Libros tuos de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione explicare. Cujus ego conſilii non approbatorem modò, ſed ſuaſorem habui Præfectum noſtrum: cui nihil eſt antiquius, quàm ſolida optimarum rerum, ac potiſſimùm Librorum tuorum ſtudia promovere, & excitare. Mirum verò eſt, quanta ingenii contentione ad eorum ſtudia incubuerint, quantavè animi voluptate perceperint immenſam eruditionem, aureamque doctrinam, quæ in illis continetur: ita ut præter eos, quos Domi habemus, Religioſos Juvenes, qui Theologiæ ſtudent, ali-

qui

qui etiam exteri bonæ ſpei Adoleſcentes advenerint Scholam noſtram , qui non audirent modò, ſed ſcriberent, quæ dictando , & explicando docebam. Quoniam verò ſingulos Libros explicare non ſinebat illud breve temporis ſpatium, quo in munerę docendi mihi verſandum erat, neceſſarium duxi , univerſam materiam , variis propoſitionibus comprehenſam , publicæ diſputationi exponere, duobus diebus habendæ ; non quod in illis præclariſsimis Libris quidquam ſit, quod in dubium revocari , aut confirmari à quopiam poſsit : ſed ut quæ à Te didicimus, altiùs in noſtris animis inſiderent ; & horum doctiſsimorum hominum graviſsimo conſpectu honeſtaremur, qui Litterarum laude florentes in hac Academia ſtudiis impendunt,& non tàm impugnandæ, quàm ſuſpiciendæ doctrinæ tuæ ad diſputandum accedent : ac demùm ut opus univerſum uno veluti intuitu animis Adoleſcentum objiceretur: qui ſivè Liturgiæ, & Sacrorum Canonum, ſivè Artis Criticæ, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſive demùm veræ, ſolidæque Theologiæ, pluriumque Philoſophicarum rerum addiſcendarum deſiderio teneantur, (ut enim in ciborum delectu, ſic in ſtudiis Artium, & ſcientiarum varius eſt hominum guſtus, & indoles). ſola horum Librorum

rum lectione commodè illud explere posse cognoscent. Quamobrem præcipua illorum capita, variasque doctrinas, quæ in distinctis facultatibus tradi solent, tamquam florem ipsum selegi, ut non unius tantùm, sed ferè omnium rerum, quæ ad rectam vivendi viam, ingeniumque formandum pertinerent, rationem, & disciplinam horum Librorum studio contineri deprehendant; indèque vel ipsa doctrinæ varietate, eruditionis copia, rerumque pulchritudine allecti, arbitratus sum fore, ut assiduæ illorum lectionis studio inflammentur. Neque verò mihi diutiùs deliberandum fuit, cuinam hunc qualemcumque laborem, recepta jam consuetudine, destinarem. Debet hoc tuis erga se meritis, Pater Beatissime, Familia Minorum universa. Id ipsum nominatim à me, tua de me judicia, meaque summa in Te pietas, & observantia exigebant. Postremò res loquebatur ipsa, æquum esse, ut cujus doctrinæ, & laboribus, quidquid ex iis Schola nostra profecit, debemus acceptum referre, huic studia nostra dicarentur. Quibus ego caussis permotus, eam in spem adducor, non ingratum *Sanctitati tuæ* futurum, quod hasce Theses in vulgus emiserim, & Augustissimo nomine tuo ornatas esse voluerim. Deum OptimumMaximum precor, ut Sanctitatem tuam

ad

Digitized by Google

ad omnium mortalium felicitatem, ad Litterarum decus, ad Christianæ Religionis firmamentum, & ad virtutum omnium exemplar diù servet incolumem. Interim ad Pedes tuos provolutus demississi mè peto, ut mihi, meisque Adolescentibus Apostolicam Benedictionem impertiare.

***



THE-

THESES SELECTÆ

EX PRIMO LIBRO.

1 CAnonizatio Servorum Dei, quibus honores Sacros Ecclesia Catholica decernit, neque cum Apotheosi Gentilium convenit, neque ab ea suam originem desumit, quidquid Heterodoxi Recentiores Romanæ Fidei, & Apostolicæ Sedis hostes infensissimi reclamitent. Ex Lib. 1. cap. 1.

2 Qui primis Ecclesiæ sæculis soluta pecunia se à vexatione redimebant, palàm tamen confitentes, se Christianos esse, & se nolle à Christo recedere (quivè *Libellatici* quoque dicti fuerunt) lapsorum notam non merebantur, quam illis injustè inurebat Tertullianus. Ibidem cap. 2.

3 Martyribus *vindicatis*, quorum nempè felix in Domino exitus fuerat discussus, & approbatus, primis etiam Ecclesiæ sæculis in more positum erat, & ad Ecclesiasticam Disciplinam pertinebat, religiosum cultum exhibere. Ibidem cap. 2. in fine.

Ex

4 Ex Libro *de Romanis Pontificibus* rectè probatur Ecclesiam Romanam Notarios aluisse, qui res gestas Martyrum diversorum conscriberent: nempè S. Clemens Notarios ad id munus constituit, & S. Fabianus Subdiaconos addidit, qui Notariis invigilarent. Qua de re nullum nobis negotium facessunt argumenta Hincmari Rhemensis, Petri de Marca, Labbei, Lupi, Cabasutii; asserentium suppositiam esse Synodum Romanam sub S. Silvestro Papa celebratam. Ibidem cap. 3.

5 Ad Romanam Ecclesiam, Romanumque Pontificem consuevisse ceteras universi Orbis inferiores Ecclesias acta, & nomina Martyrum transmittere, ut cultus in honorem Martyrum aut introduceretur, aut introductus confirmaretur, hebes ille sit oportet, vel audax, qui in Controversiam vocaverit. Ibidem cap. 4.

6 Confessorum cultus, qui post heroicarum virtutum exercitium in pace obierunt, quarto sæculo incœpit. Ibidem cap. 5.

7 Antequam cultus religiosus Confessoribus exhiberetur, Ecclesiasticum judicium primis illis Religionis Christianæ temporibus prærequiri quum jura Canonica, cum solemnes corporum translationes, & elevationes auctoritate Episcopali factæ, invictè demonstrant. Ibid. c. 6.

In

8 In cultu decernendo erga Martyres, & Confessores semper intervenisse, aut tacitam, aut expressam Summi Pontificis authoritatem à primis usque Ecclesiæ sæculis, manifestum est ex iis, quæ pro cultu sacro Martyribus, & Confessoribus decernendo, acta sunt usque ad tempora Joannis XV. Summi Pontificis. Ibidem cap. 7.

9 Et à temporibus Joannis XV. usque ad Alexandrum III. Ibidem cap. 8.

10 Ac demùm ab Alexandri III. Pontificatûs initio, ad nostra hæc usque tempora. Ibidem. cap. 9.

11 Sanctos canonizare jus est Summo tantùm Pontifici reservatum. Ibidem cap. 10.

12 Hoc autem jus decernendi Sanctis religiosum cultum privativè, quoad Primates, & Episcopos, aliosque omnes, non est jus novum à Decretali Alexandri III. inductum. Ibidem cap. 10.

13 Dei Servos in Beatorum Cathalogum referre, non pertinet ad Sacrum Collegium Cardinalium, licèt Sedes Apostolica vacet. Ibidem cap. 11.

14 Nec ad Concilium Generale, aut Provinciale, absque interventu Pontificiæ auctoritatis. Ibidem cap. 11.

15 Quod de Concilio Generali, aut Provin-

vinciali asserimus, etiam in casu, quo Sedes Apostolica vacet. Ibid. cap. 11.

16 Utile est, congruum, & expediens Sanctorum Canonizationes aliquando peragere. Quamobrem quis eos ferat, qui supposita potestate canonizandi, ejus usum audent condemnare? Ibid. cap. 17.

17 Pueris ante usum rationis decedentibus post Baptismum receptum non fluminis, sed sanguinis necatis, videlicèt in odium Christi, & ejus Fidei, licitè religiosus cultus ab Ecclesia Catholica decretus est. Ibid. cap. 14.

18 Qui sustinent: eos, qui adhùc vivunt, posse esse subjectum Canonizationis, propter hanc rationem, quia, scilicèt Sanctus Patriarcha Elias adhùc vivit, & clara Dei visione, & voluptate beatifica fruitur, hæc eorum sententia à nobis non approbatur: clara enim Dei visio hominibus in hac vita degentibus denegatur de lege ordinaria, Ibid. cap. 14.

19 Cum post Congregationes antepræparatorias, & præparatorias in Congregatione Generali coram Summo Pontifice discutiuntur dubia, super Virtutibus, & Miraculis Servorum Dei, atque in eo examine Theologorum, qui sunt Sacræ Congregationis Rituum Consultores, consilia, & suffragia Pontifex requirat, tutior, & magis consentanea usui

Se-

Sedis Apoſtolicæ eſt illorum ſententia, qui cenſent minimè ſufficere majorum ſuffragiorum partem, ſed in re, & ad finem, de quo agitur, duas ex tribus partibus omnium ſuffragiorum requiri. Ibid. cap. 22.

20 Miracula in Martyrum cauſis diſcutiendis neceſſaria non ſunt, ut inter Martyres recenſeantur; juſtis tamen de cauſis nulli Martyrum Sedem Apoſtolicam religioſum cultum decernere, niſi Miraculis accedentibus, demonſtraturi ſumus. Ibid. cap. 29.

21 Eccleſiaſticum judicium, quod interponitur in Canonizatione Sanctorum, eſt infallibile. Ibid. cap. 43.

22 Temerariam dicimus, & ſapientem hæreſim ſententiam eorum, qui aſſerunt: Pontificem, in hac, aut illa Canonizatione Sanctorum erraſſe, huncque, aut illum Sanctum ab eo canonizatum, non eſſe cultu Duliæ colendum. Ibid. cap. 45.

EX SECUNDO LIBRO.

23 SOlis Ordinariorum Proceſsibus deveniri non poſſe ad Canonizationem formalem Servorum Dei, ſed requiri etiam proceſſus auctoritate Sedis Apoſtoli-

102

cæ confectos, eadem Sedes Apostolica jure, & meritò præcepit, & consuevit à tempore reservationis harum causarum. *Tom. 2. ejusdem operis, Lib. 1. cap. 6.*

24 Nemo potest publico cultu Dei Servos colere, nisi interveniente Sedis Apostolicæ auctoritate, etiamsi per eos Miracula fierent. Ibid cap. 7.

25 Nomine cultus publici intelligi debet, cultus ille, qui ex Ecclesiæ institutione Beatificatis, aut Canonizatis adhibetur. Atque in hoc sensu prohibitum est, ne alicui deferatur. At si nomine cultus publici veniat cultus ille, quo aut à persona publica, aut in loco publico, aut coram aliis colitur aliquis Dei Servus, id licitè fieri posse, sustinemus. Ibid. cap. 7.

26 Libros à Dei Servis conscriptos, qui cum scripti fuere, non erant censura digni, sunt autem cum examinantur, non posse esse impedimentum progrediendi ad ulteriora in causa Canonizationis eorum, exemplis ab Historia Ecclesiastica petitis demonstratur. Ibid. cap. 29. & 30.

27 Cum Dei Servi maximo erga Deum, & proximum amore inflammati dicunt: se paratos pati pœnas inferni, ne ullus damnaretur,

tur, & desiderare se omnium salutem, licèt id esse deberet cum discrimine, & ammissione salutis æternæ, hic actus desiderii, talibus, aut consimilibus verbis, rectè, & laudabiliter exprimi potest, nec eorum Canonizationi impedimentum afferre. Ibid. cap. 31.

28 Doctrina si quæ reperiatur in Libris Servorum Dei contra Fidem, vel Ecclesiæ regulas, non obstat eorum Beatificationi, & Canonizationi, si ante obitum seriò, sufficienter, & voluntariè retractata fuerit ab illis. Ibid. cap. 33.

29 Si verò detur casus, quod de illorum seria, & sincera retractatione non constet, sua tamen scripta nihilominùs Ecclesiæ Romanæ, seu Summi Pontificis judicio subjecerint, tunc non esse censendos hæreticos, tùm ex Doctrina Professorum Juris Pontificii, tùm ex Ecclesiasticis monumentis, tùm deniquè ex variis exemplis demonstraturi sumus. Ibidem. cap. 33.

30 Hæc autem pura subjectio judicio Ecclesiæ, & Romani Pontificis satis non est, ut ad eorum Canonizationes in casu præfato deveniri possit. Ibid. cap. 33.

31 Cum agitur judicium super famam in genere sanctitatis, aut martyrii Servorum

103

Dei in causa eorum Canonizationis, sententiæ Bartoli adhæremus, qui contra Baldum docebat, testi, famam asserenti, nominandam esse personam, à qua rem audivit. Opinio Baldi admitti potest in factis antiquissimis. Ibidem cap. 40.

32 Testes, qui aut per calumniam, aut per ignorantiam famæ sanctitatis, aut martyrii Servorum Dei, sivè voce, sivè scriptis adversantur, tùm etiam rumor, qui citò evanuerit adversus eorum famam, & mores, minimè obstare debent eorum Canonizationi. Ibid. cap. 41.

EX TERTIO LIBRO.

33 TEstibus, de auditu probari sufficienter Virtutes, & Miracula in causis post multos annos ab obitu Servorum Dei introductis: iisque, si unus de visu addatur, plenam consurgere probationem, pluribus monumentis ostenditur. *Tomo* 3. *Libr.* 3. *capit.* 1.

34 Quæ tamen vim ullam habent ad probandum sufficere Testes de auditu in judicio de Virtutibus, & Martyrio in specie, in causis procedentibus per viam non cul-

de

tus. In his enim Teſtes de viſu proprio, ſi de re agatur, quæ cadit ſub ſenſu viſus, vel de proprio auditu, ſi agatur de re, quæ cadat ſub ſenſu auditus, meritò, & jure exiguntur. Ibid. cap. 5.

35 Rursùs in judicio de Miraculis non modò Teſtes de auditu non ſufficere, ſed requiri ulterius Teſtes *conteſtes de viſu*, ſuſtinemus. Ibid. cap. 4.

36 In cauſis Beatificationis, & Canonizationis teſtimonium fœminarum ſola ratione ſexus non eſt rejiciendum: Nec Religioſorum, & Monialium, quando agitur de Beatificatione, aut Canonizatione alicujus Servi, vel Servæ Dei, quæ ejuſdem fuerint inſtituti. Ibid. cap. *6*.

37 Quamquam Teſtimonium Confeſſariorum ad canonizandum, non ſit neceſſarium, eſt tamen utile. Quare abſque præjudicio ſigilli Sacramentalis, eorum Teſtimonium in hujuſmodi cauſis juſtè admitti ab Apoſtolica Sede, defendimus. Ibid. cap. 7.

38 Ut quis Dei Servus, veluti Martyr canonizetur, neceſſarium eſt, ut ejus Martyrio interveniat Perſecutor, aut Tyrannus ab ipſa Martyris perſòna diſtinctus, & quod Tyrannus ipſe pœnam infligat. Quæ duo ſi de-

ſint, nullus pro vero Martyre habendus eſt, niſi quis martyrium ſubierit juxta regulas extraordinarias, quæ ex ſpeciali inſtinctu divino cauſam habent. Ibid. cap. 11.

39 Mors conſummata non eſt de neceſſitate martyrii; ſed ſufficit pœna, quæ ex ſe ſufficiens ſit ad mortem inferendam, licèt ab ea divino miraculo Martyr illæſus evadat. Ibid. cap. 12.

40 Cum Martyrem non faciat pœna, ſed cauſa, dicimus: cauſam martyrii eſſe debere odium in Fidem Chriſti ex parte Tyranni, vel etiam in aliquam virtutem; undè Tyrannus non ſolùm infidelis, & hæreticus, ſed etiam Catholicus eſſe poteſt. Ibid. cap. 31.

41 Pueri, qui in utero matris, & ante uſum rationis ex odio in Fidem Chriſtianam occiduntur, ſunt veri Martyres. Ibid. cap. 15.

42 Zelus Fidei, & fraterna charitas ſunt cauſæ ſufficientes, ut quis laudabiliter ſe poſsit offerre martyrio. Ibid. cap. 16.

43 Vetitum eſt Epiſcopis, ceteriſque animarum curam habentibus in perſecutione fugere: ſi gregis unionem ex ſua permanſione, ex fuga autem prævideant ejus diſperſum. Ibidem cap. 16.

44 De Gratiis gratis datis habenda eſt

ra-

ratio in judicio Beatificationis, & Canonizationis, si in eo præter illas constet de Virtutibus in gradu heroico, & de innocentia vitæ Servi Dei. Quod si in aliqua causa Servi Dei gratiæ gratis datæ deficiant, tuto pede procedi posse ad discussionem miraculorum post obitum, si adsint legitimæ probationes heroicitatis virtutum, sustinemus. Ibid. cap. 42.

45 Sermo Sapientiæ, & sermo Scientiæ, de quibus loquitur Apostolus, sunt gratiæ gratis datæ invicem differentes, & distinctæ. An is, qui aliquam scientiam sine humana industria acquisivit, auxilio Dei, vel ope Dæmonum acquisierit necnè, dignosci potest ex moribus, & vitæ instituto ejus, qui scientia potitur: ex qualitate ipsius habitus: ex illius scientiæ usu: ac demùm si eam scientiam non omnimodè in propria habeat potestate, ut latè explicatur ibid. cap. 43.

46 Datur in Ecclesia gratia miraculorum. Ibid. cap. 44.

47 Prophetia consistit in cognitione, & in cognitorum manifestatione. Prophetia Divina nullam naturalem dispositionem, neque per se unionem cum Deo per Charitatem requirit. Qui dicebant actuum internorum cognitionem, & futurorum eventuum contingen-

tium, & liberorum præscientiam non esse soli Deo reservatam, sed eam ab hominibus naturaliter haberi posse, non solùm *ex libro secundo de Divinatione*, quem scripsit Cicero, sed multò magis convincuntur erroris ex iis, quæ docentur ibidem cap. 45. & 46.

48 Gratia Prophetiæ est gratia gratis data. Spiritus Prophetiæ cum extitit in Ecclesia ab Apostolorum tempore, tum perseveravit impostetùm, & adhuc in Ecclesia existit. Ut constet Dei Servos fuisse prophetiæ dono illustratos, verificari debent regulæ, quæ traduntur ibid. cap. 47.

49 Discretio spirituum, genera linguarum, & interpretatio sermonum sunt gratiæ gratis datæ. Hæ, & aliæ omnes gratiæ gratis datæ in Christo fuerunt per modum habitus, aliis dantur per modum actus; seu motionis transeuntis. Ibid. cap. 48.

50 Mentis excessus, Ecstasis, & Raptus possunt esse naturales, aut dœmoniaci. Constabit autem esse Divinos ex moribus, & vita illius, cujus causa tractatur, ex signis, circumstantiis, ex antecedentibus, & consequentibus, ut solidè, & uberrimè explicatur ibid. cap. 49.

51 Ecstasis solitariè accepta, etsi divina,

non

non confert ad probandam sanctitatem, nisi in ecstatico probetur concursus heroicarum virtutum. Ibid. cap. 49.

52 Præsuppositis *Visionum*, & *Apparitionum* explicatione, & divisione, de quibus ibidem in cap. 50. earumque discernendarum ratione, signis, & notis, de quibus doctissimè in c. 51., dicimus, quod ad instar gratiæ gratis datæ habendum est in causis Beatificationis, & Canonizationis momentum visionum, & apparitionum præternaturalium: verificatis tamen iis qualitatibus, quibus visio Divina secernitur à naturali, & dæmoniaca, & constito de virtutibus in gradu heroico. Ibidem cap. 52.

53 Revelationes privatas impudentissimè rejicere conantur Centuriatores Magdeburgenses. Ibid. cap. ult.

EX QUARTI LIBRI PARTE PRIMA.

54 MIracula alia sunt supra naturam: & hujusmodi fuisse defendimus illud, quo filius viduæ precibus Eliæ fuit à mortuis revocatus. Alia sunt contra naturam: cujus generis fuisse sustinemus illud, quo

quo Sol Josue imperanti, ne vergeret ad Occasum, obediens, in medio Cœli stetit immotus: & alterum, quo Virga jussu Dei à Moyse elata, pelagus in duas partes divisum est. Alia præter naturam: qualia fuisse asserimus sanationem Abimelech, orante Abrahamo: ignem Eliæ imperio, de Cœlo descendentem, & devorantem eos, qui ei improperabant; & lapides de Cœlo missos contra Reges Chananæos, Gabaonem obsidione prementes, cum essent in descensu Bethoron usque ad Azeca. Ibid. cap. 1.

55 Hinc execramur impium Spinosæ Systema, miracula quæcumque explodentis. Ibidem cap. 1.

56 Solus Deus est causa efficiens, principalis, authoritativa, & independens miraculorum. Ibid. cap. 2.

57 Christum Dominum vera edidisse miracula ostendimus contra Uvolstonii non minus stultam, quam impiam opinionem. Id etiam confessus est Joseph Hebræus: cujus testimonium ex lib. 18. antiquit. cap. 4. genuinum judicamus. Ibid. cap. 2.

58 Nulla creatura potest propria virtute patrare vera miracula, non Dœmones, non Anti-Christus. Nec vera miracula sunt, quæ

à

à Gentilibus facta narrantur apud Historicos prophanos. Potest tamen Deus Dœmones, & infideles assumere ad vera miracula patranda. Ibid. cap. 3.

59 Verum miraculum fuit conversio Uxoris Lothi in statuam salis. Hinc corruit omninò Dissertatio *de statua salina* à Joanne Clerico impio Catholicæ veritatis osore elaborata: hanc conversionem in sensu allegorico explicante ibid cap. 3.

60 Deus non potest patrare in confirmationem falsæ Doctrinæ vera miracula. Hæc à falsis distinguuntur *efficacia*, *duratione*, *utilitate*, *modo*, *& fine*. Ibid. cap. 4.

61 Miracula necessaria sunt in causis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei. Ibid. cap. 5.

62 Miraculum, quo flumen Athesis, Veronam inundans, decrescere cœpit, statim ac in illud à Cardinali Augustino Valerio unus ex Cereis Agnis à S. Pio V. benedictis, projectus est, non virtuti cerei Agni, sed intercessioni S. Pii V. jure fuit adscriptum. Ibid. c. 5.

63 Falsa fuere miracula, quæ de Diacono Parisio, in Cœmeterio S. Medardi Parisiis sepulturæ tradito, narrantur ab Authore vitæ illius, à Clemente Papa XII. jure proscriptæ. Ibid. cap. 7. De-

64 Defendimus ea omnia, quæ de ſanatione à morbis, & infirmitatibus, de Cœcis illuminatis, de mutis, ſurdis, claudis, ambulare impotentibus, & Gibbis ſanatis: necnon de ſanatione epilepticorum, & laborantium paſsione Hyſterica, Manìa, Hydrophobia, Hydropiſia, Empyemate, Hernia, Fluxu ſanguinis, & Hemorrhogiis: ac rursùs quæ de ſanatione vulnerum, & à Lepra, Cancro, Cangrena, Febri, aliiſque infirmitatibus: & demùm, quæ de partu miraculoſo, de revocatione mortuorum ad vitam, ac præſertim de reſuſcitatione demerſorum ſub aquis, de liberatione à peſte, contagio, epydemia, incendio, & ab aliquo periculo: defendimus, inquam, quæ de hiſce omnibus, quando cenſenda ſint miraculoſa, ſolidè, & egregiè docentur ibid. à cap. 8. uſque ad 22.

65 Quando agitur de Miraculis pro Beatificatione, & Canonizatione neceſſariis, admittenda eſſe miracula negativa, adverſus Mattæ ſententiam ſuſtinemus. Ibid. cap. 22.

66 Rerum multiplicatio, & rerum converſio in alias res ſunt vera miracula, ſi de iis concludenter probentur conditiones, quæ præſcribuntur ibid. cap. 23.

67 Idem eſto judicium de miraculis reſpi-

picientibus dominium supra elementa ; & irrationales creaturas animatas. Ibid. c. 24.

68 Casus duplicis solis, Parhelii, videlicèt, & duplicis Lunæ, quæ Lunæ duplicitas Paraselene appellatur, Eclypses, Terremotus, apparitio Stellæ alicujus, & alia hujus generis Phænomena sunt naturalia ; nil tamen vetat, quin vera miracula sint, si de iis, verificentur modus, & circumstantiæ, quæ explicantur ibid. cap. 25.

69 Idem dicito de sudore sanguineo, & sanguineis lachrymis, manantibus à corpore Servorum Dei ; & de lumine, & splendore, quibus eorum facies refulget. Ibid. cap. 26.

70 Justificatio impii, precibus Servorum Dei facta, inter miracula est recensenda : tum etiam longa abstinentia à cibo, & potu juxta ea, quæ docentur ibid. cap. 27. & 28.

71 Ejectio Dœmonum à corporibus obsessis non est miraculosa, si fiat ordinario modo per Exorcismos : secùs, si fiat ex imperio. Ibid. cap. 29.

72 Incorruptio, flexibilitas, odor cadaverum Servorum Dei miraculo adscribenda est, si ea concurrant, quæ docentur ibid. cap. 30. & 31.

73 Sanatio à doloribus, aliisque morbis in

in corporibus procùl poſitis, non eſt tribuenda viribus imaginationis. Si qui morbi ſanari momento poſſunt vi imaginationis, ſanitas non durabit: ſed recidiva, aut Methaſtaſis ſequetur. Ibid. cap. ult.

74 Hinc Franciſci Petrarcæ (cui adhæſit Pomponatius) opinionem, ſacra, & ſtupenda ſtigmata Seraphici Patris S. Franciſci vi imaginationis, & non miraculo attribuentis, tamquam erroneam, ac penitùs falſam reprobamus. Ibidem cap. ultim.



SANCTISSIMI D. NOSTRI

BENEDICTI

PAPÆ XIV.

ALLOCUTIO

HABITA

IN COMITIIS

GENERALIBUS

FRATRUM MINORUM

IN TEMPLO ARACœLITANO

CELEBRATIS

IN VIGILIA PENTECOSTES

XVII. KALEND. JUNII

ANNO JUBILÆI

M. DCC. L.

Digitized by Google



DILECTI FILII.



NEque novum , neque inuſitatum Nos facere , quod veſtris hiſce Comitiis præſideamus , Annales veſtri teſtantur , in quibus decem Romani Pontifices recenſentur, qui ſimile Nobis exemplum reliquerunt. Inter illos Nicolaum V. adnumeratum deprehendimus, qui cum univerſale Jubilæum , quod tunc temporis contigerat , ſolemniter celebraret , inter cetera pietatis , ac religionis ſuæ monumenta , illud etiam præſtandum cenſuit , ut Comitiis Ordinis veſtri Generalibus , quæ tum Romæ cogebantur , ipſe præeſſet. (1) Quamquam verò quodlibet ex iis , quæ innuimus, exemplum , ut Comitiis hiſce veſtris præeſſemus , ſatis eſſe potuiſſet , tamen diſsimulandum non eſt , illud prædicti Nicolai V. Nos vehementer excitaſſe,& quaſi impuliſſe;cum & univerſale Jubilæum à Nobis quoque celebre-

(1) Uvading. *in Annalibus Minorum ad annum* 1450. *num.* 19.

110

Digitized by Google

tur, & eo cogitationes à Nobis intendantur, ut illud ritè, & qua par eſt ſolemnitate peragatur.

Quapropter, dum Generali Conventui veſtro præſidemus, ſingulari afficimur gaudio: quod etiam magis augetur ob pietatem in Ordinem Sancti Franciſci, quam velut hæreditariam à Majoribus noſtris accepimus, & quàm perſpicuè declaravimus in omni vitæ conditione, in qua, Deo diſponente, verſati ſumus, nihil unquam prætermittentes, quod ſpirituali utilitati veſtræ, quam Vobis unicè cordi eſſe non ignoramus, conferre poſſe videretur.

Si privatis Familiarum monumentis, & peculiaribus Urbium Annalibus fides præſtanda eſt, compertum habemus, (2) à Guido Lambertino conceſſum, ac liberaliter traditum fuiſſe locum ad extruendam Eccleſiam, & Cœnobium Patriarchæ veſtro S. Franciſco, cum Bononiæ in honorem Annuntiationis SS. Virginis Templum excitare peroptaret, quod etiam hoc tempore à Vobis in ea Civitate retinetur: quæ quidem Guidi liberalitas, ac pia voluntas, intercedente eodem S. Franciſco, plurima illius Liberis, ac Nepotibus à Deo bene-

(2) Anton. de Anellis *in Genealogia Familiæ Lambertinæ Nobilis Bononienſis M.S. ann.* 1535.

neficia comparavit. In historiis pariter vestri Ordinis, (3) ac Civitatis nostræ Bononiensis (4) plurimum commendatur Beata Joanna Lambertina, quæ Familiæ vestræ nomen dedit. Ipsa namque Sanctæ Catharinæ Bononiensis prius Comes, eidem posteà in administrando Monasterio succesit, ac tandem hujus mortalis vitæ cursum in sanctitatis odore consummavit. Illiusque ossa condita sunt ad pedes ejusdem S. Catharinæ, cujus corpus post plura sæcula integrum adhuc, ac sedens, publico Christi Fidelium cultui patet.

Nemo vestrum ignorat, inter spiritualia Regularium Ordinum ornamenta illud maximè efferri, quod ipsorum Alumni inter Beatos, ac Sanctos post obitum extollantur; ex quo tum ceteri ad imitanda hujusmodi exempla inflammantur, tum continua quoque in Ecclesia Catholica Sanctitas comprobatur. Illud

E 2

(3) Artur. *in Martyrologio Franciscano ad diem* 12. *April.* Uvading. *ad ann.* 1431. *num.* 21. *&* *ad ann.* 1455. *num.* 110. *&* 111.

(4) Gabr. Card. Palæottus *Archiepiscopal. Bononien. in Cathalogo Sanctorum*, *&* *Beatorum.* Pompeus Bizani *Histor. Bononiens. lib.* 7. *ad ann.* 1456. Gaspar Bombaci *in Bononiensibus sanctitate illustribus*, *pag.* 111. *&* 112. *edit. Bononiens. ann.* 1640. Antonius Pauli Masini *Bononiens. perlustrat. pag.* 118. *&* *pag.* 279. *edit. Bononiens. ann.* 1666. Co. Valerius Zani *in Cathalogo Beatorum Bononien. ad ann.* 1476.

lud autem falsò à nonnullis adfirmari Nos minimè latet, videlicèt Ordines Cistercienſium, & Carthuſianorum ſolicitos ſemper fuiſſe, ut Viri Religioſi omni ſanctitate præſtarent, dum viverent, nullam verò impendiſſe curam, ut ipſi poſt mortem debitum Beatis, ac Sanctis cultum conſequerentur. Sed in libris, quos Typis emiſimus, cum adhuc inter Cardinales verſaremur, *de Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum*, (5) eam ſententiam à veritate prorsùs alienam ſatis oſtendimus; & in lucem protulimus, ac enumeravimus Beatos, ac Sanctos eorumdem Ordinum, quibus Sedis Apoſtolicæ decreto publicus cultus impenditur.

Clemens XI. felic. record. Nos in juvenili adhuc ætate conſtitutos inter Advocatos Conſiſtoriales primo cooptavit, & patrocinium Cauſæ Canonizationis memoratæ S. Catharinæ Civis noſtræ, Ordiniſque veſtri Filiæ, Nobis demandavit: quod ſanè ita ſuſcepimus, ut, ſolutis difficultatibus, Deo imprimis adjuvante, illam inter Sanctas adſcriptam Nobis venerari feliciter contigerit. Poſt hæc, idem Pontifex Fidei Promotoris munus gerendum Nobis impertivit, quod per plures annos exercentes, inter Sanctos non ſine magno labore, co-

(5) *Lib. 1. cap. 3. num. 17. & 18.*

conatuque nostro adnumerari lætati sumus tres ex Familia vestra, Jacobum Picenum, Franciscum Solanum, & Margaritam Cortonensem; quinque verò inter Beatos referri, videlicèt, Joannem de Prato, Salvatorem ab Horta, Liberatum à Lauro, Andream de Comitibus, & Hiacyntham Marescotti. Postremò licèt immerentes, ad Summum Pontificatum evecti Nos ipsi Petrum Regalatum solemni ritu Sanctum declaravimus; & Benedictum à S. Philadelphio, Pacificum à Ceredano, Coletam, & Joannam Valesiam in Beatorum numerum cooptavimus.

Uvadingus Annalium vestrorum scriptor (6) non immeritò suum, vestrumque Ordinem magnopere commendat ex eo, quod Fratribus Minoribus à decimo quarto sæculo Divini Salvatoris nostri Sepulchrum custodiendum traditum fuerit: *Non est profectò exigua gloria nostri Sodalitii, ut illud solum præ omnibus, inter omnes Ecclesiæ Ordines tribus integris sæculis in sua habeat potestate* Fidei *nostræ præcipua monumenta, & Minoritæ dumtaxat Custodes adhibiti sint locorum, in quibus nostræ salutis Mysteria operatus est Christus, & sanctum Domini Evangelium de Patibulo coruscaverat.*

E 3 Di-

(6) *Ad annum* 1342. *num.* 59.

Dilectus Filius RAPHAEL A LUGAGNANO, qui totius Ordinis vestri Generalis Minister *nullius incongruæ voluntati deservivit, sed vita, & moribus decoratus, tanto Ordine dignus inventus est*, (7) multum laboris impendit, quemadmodum vobis satis exploratum est, ut ea constitueret, quæ pro Locis Sanctis piè, religioseque asservandis consentanea magis esse viderentur. Ipse quidem, favente Deo, incolumis hic versatur, vobisque omnibus testari potest voluntatis nostræ studium, ut gravissimum hoc negotium ad finem suum feliciter perduceretur; vobisque ipsis perspectas esse non dubitamus Apostolicas Litteras, quas edidimus, (8) ut ea confirmaremus, quæ idem Generalis Minister vester prudenter, utiliterque decernenda esse censuit ad Sanctam eorumdem Sacrorum Locorum custodiam.

Jam ad finem properat annus decimus Pontificatus nostri, in quo benevolentiam nostram in Regulares Ordines semper ita probavimus, ut nulli unquam jus eligendi suos Præsides, interposita sola auctoritate nostra, suspensum fuerit, sed illud intactum semper om-

(7) Sanctus Gregorius Magnus *lib. 3. epistol.* 22. ad Antoninum Subdiaconum, *tom.* 2. *edit. Parisiens. ann.* 1705. *pag.* 639.

(8) *Die 7. Januarii, & die 7. Februarii ann.* 1746.

omnibus reliquerimus. Quare, si hunc animum in reliquos Ordines habuimus, conjicere facilè potestis, Nos idem præstituros esse erga vos quam libentissimè. In hunc locum Comitiis vestris adfuturi venimus, ut libertas vestra magis asseratur, vestrisque precibus ad Deum nostræ pariter jungantur, ut ipse lumen suum vestris mentibus impertiat, ad idoneum Virum totius Ordinis Præsidem eligendum. Itaque verbis utemur S. Gregorii Magni Prædecessoris nostri (9) ad Clerum Mediolanensem, qui ad eligendum novum Archiepiscopum convenerat. *Quia antiquę meę deliberationis intentio est, ad suscipienda Pastoralis curæ onera, pro nullius unquam misceri persona, Orationibus prosequor electionem vestram.* Deindè S. Pontifex propositum suis precibus finem declarat, & simùl virtutes recenset, quibus novum Præsulem decet exornari. Nos etiam sententiæ ipsius vota nostra accommodantes, eadem prorsùs verba hìc repetemus. *Ut Omnipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper est præscius, talem vobis Pastorem præbeat, in cujus lingua, & moribus exhortationis Divinæ pascua valeatis invenire, in cujus mente, & humilitas cum rectitudine fulgeat, & severitas cum*

E 4 pieta-

(9) *Lib. 3. indict. 11. epist. 29. citato tomo 2. pag. 644.*

pietate, qui vobis viam vitę non solùm loquendo, sed etiam vivendo possit ostendere, quatenus exemplo illius discat vestra dilectio ad ęternæ Patrię desiderium suspirare.

Postremò S. Gregorii ad Electores sermonem convertentis exemplo Nos pariter inhærentes, obtestamur vos in visceribus Jesu-Chisti, ut privata studia, omnemque terrenam cogitationem deponentes, hodierna die, qua gravissimum à vobis negotium pertractatur, ad communem vestri Ordinis utilitatem, quæ cum Dei gloria conjuncta est, ad conservandam, & magis magisque amplificandam Catholicam Fidem, oculos, animumque convertatis: *Itaque* (inquit S. Gregorius) *Vos, Filii charissimi, officii nostri censura commoniti, suademus, ut in hac suscipiendi Antistitis Causa nullus vestrum neglecta utilitate communi suo lucro prospiciat, ne si quisquam propria commoda appetit, frivola æstimatione fallatur, quia nec libero judicio pręferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat.* Hæc autem Paterna monita etsi vobis, dilecti Filii, viam perfectionis jam ingressis supervacanea videri possunt; tamen consentanea valdè sunt, tum Apostolico ministerio nostro, tum muneri, quod gerimus, præsidendi Comitiis vestris, tum deniquè Pontificiæ quoque, numerisque

om-

omnibus obstrictæ benevolentiæ, qua universum S. Francisci Ordinem complectimur. Semper quippè oculis nostris obversatur admirabile visum Innocentii III. Prædecessoris nostri, qui incertus, ac suspensus, utrum Seraphici Patris vestri novum Institutum auctoritate Apostolica confirmare deberet, omnem prorsùs dubitationem deposuit, postquam in somnis palmam inter pedes suos paulatim succrescentem, & in arborem pulcherrimam sese elevantem conspexit, & ipsum S. Franciscum hominem licèt pauperculum, modicum, & despectum Lateranensem Basilicam jam ruinæ proximam, proprio dorso summisso, ne caderet, sustentantem. (10)

Hæc sunt, dilecti Filii, quæ vobis significanda censuimus. Quare Orationem nostram longius protrahendam non judicamus; sed vos ad sanctam electionem auspicandam exhortamur.

ORA-

(10) S. Bonaventura *in legenda Sancti Francisci cap.* 3.

Digitized by Google



ORATIO
HABITA ROMÆ
IN TEMPLO
ARACœLITANO
IN COMITIIS
GENERALIBUS

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINOR.

S. P. N. FRANCISCI

DIE X. MAII

ANNO JUBILÆI

M. DCC. L.

Eligite meliorem. . . . & eum ponite super Solium Patris sui. 4. Reg. cap. 10. vers. 3.

Digitized by Google



ORATIO



I quantum lætitiæ mihi attulit Conventus hic vester ex toto Orbe terrarum, tantum ingenii, & eloquentiæ ad eam lætitiam vobis significandam tribueret, Patres Religiosissimi, non adeò commoverer ipsa Orationis materia, & conditione dicendi, neque ullam mihi sive hujus amplitudo loci, sive audientium dignitas, sive tanta hæc lectissimorum hominum frequentia perturbationem afferret. Nam quod precatus omni tempore sum à Deo Parente salutis nostræ, ut illo die, quo auspicato de universi Ordinis Minorum moderatore deligendo ageretis, id mihi, vobisque omnibus faustè, feliciter, prosperèque eveniret, nunc lætor cummaximè, quod eumdem diem Sanctissimi Pontificis auspiciis, ac solemni Comitiorum precatione consecratum imminere intelligo, quo Familia nostra summum illud bonum, quod in optimi delectu moderatoris constituunt Sapientes, Divino primùm beneficio, deindè consilio, & virtute vestra conse-

quu-

Digitized by Google

quutura ſit. Præterea cum efferrer maximo ſtudio vos omnes, quos colui, & dilexi videndi: neque verò cuperem eos ſolùm convenire, quos ipſe cognovi, ſed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipſe aliquid ſcripſi: perfundor quidem voluptate incredibili hoc maximè tempore, quo datum mihi eſt, non modò colere vos, & coram videre, ſed frui etiam & amplecti, & adloqui, omnemque diuturni deſiderii mei expectationem explere. Sed mihi tamen veſtram ſapientiam, & doctrinam conſideranti adeò ſtimulat, & pungit animum conſcientia tenuitatis meæ, ut de ingenio, & oratione mea, ut tantam maximarum rerum copiam animo complecti, & verbis ornare poſsim, non mediocriter pertimeſcam. Video etenim in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe converſos, video vos magnum quiddam, ac propè divinum expectare omnes, quod deceat tum hujus majeſtatem loci, quo nihil unquam niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, adlatum eſt, tum maximum illud publicæ rei noſtræ negotium, cujus pro ea dignitate, quam in Ordine obtinetis, veſtra procuratio eſt, tum denique ardorem illum animorum veſtrorum, qui vos in hanc Urbem ex Locis tam longinquis, oriſque diverſis, longa navigatione marium,

ac

ac difficillimo viarum itinere perduxit. Quæ ego mecum ipſe cum cogitarem, ita commovebar intimis ſenſibus, facilè ut animos deſpondiſſem, conſiliumque abjeciſſem orationis habendæ, niſi me huc ſumma de veſtra humanitate ſingulari concepta ſpes impuliſſet. Qua equidem ſola fretus, ab hoc quaſi exordio, ad illud, in quo verſamur, argumentum dicendi, ſtatim aggredior. Conſtituendum vobis eſt hiſce diebus de univerſi Ordinis Minorum moderatore ſufficiendo: quis nempè, in ampliſsima Familia ad ſupremum honoris gradum perduci, cui difficillimum imperium committi debeat. Magna quidem res, ac ſalutaris: quæ vobis maxima ad deliberandum, mihi verò ad dicendum honorifica eſt. Neque verò opus habeo, vos admonere, quid in eligendo Ordinis Præfecto ſequi debeatis: ſed veſtram fidem, auctoritatem, ſapientiamque implorare, id ut perficiatis, quod animo prius conceptum, meditatumque tenetis. Quare nullo in argumento mea commodiùs Oratio verſabitur, quàm ſi ea exponam, quibus ipſi vos excitati eſtis, ad eum potiſsimè deligendum, qui aptiſsimus, ac publicè utiliſsimus futurus eſſe videtur. Id enim à vobis jure poſtulat, tum ipſa Præfecturæ dignitas, quæ ampliſsima eſt, tum quæ maximæ ſunt difficulta-

tes

tes in ea adminiſtranda. Obteſtor itaque vos, Religioſiſsimi Patres, per eum in cujus nomine huc conveniſtis, ut Orationem meam, vel potiùs tenuitatem, & inopiam ſtudio, alacritate, benevolentiaque veſtra adjuvetis: neque eas humanitatis veſtræ fontes, qui mihi ſemper patuerunt, clauſos nunc eſſe patiamini. Attendite.

Nulla unquam gens extitit uſque adeò agreſtis, & barbara, quæ non tanta deſideraret in Principe ornamenta virtutum, quanta Reipublicæ ſplendor, & dignitas imperii poſtulabant. Quam ego cujuſque dignitatem imperii, ac ſplendorem Reipublicæ non in ſola antiquitatis prærogativa conſtitui, non auri, non argenti copia conſtare affirmo, ſed ex hiſce tribus veluti puriſsimis fontibus proficiſci, ex eorum, nempè, à quibus condita ſunt, virtute mirabili, & planè divina, ex multitudine Civium, qui, rebus præclarè geſtis, omni genere laudis excelluerunt, atque demùm ex ipſa imperii amplitudine, longè, latèque diffuſi. Neque verò audiendi ſunt Athenienſes: qui tantum in eo antiquitatis genere ſibi tribuebant, ut illo ſolùm nomine in Græcia obtinere ſe Principatum putarent, quod omnium eſſent populorum vetuſtiſsimi: non Ægyptii, qui omnem antiquitatis gloriam ad ſe avidiſſimè

ſimè traducebant: non Arcades, qui ad fabulas uſque progreſsi, ſe ante Lunam natos ſtultiſsimè jactitabant. Scilicèt illi omnem Reipublicæ dignitatem evertebant, quæ non ſola, eaque fabuloſa antiquitate temporum, ipſis etiam brutis animantibus communi, non opibus, & potentia, quibus vel ipſæ efferatæ, & barbaræ gentes floruerunt, ſed virtute, & rerum geſtarum gloria, & multò magis pietatis ſtudio potiſsimùm continetur. Intendite nunc intendite, quæſo, cogitationes veſtras, Religioſiſsimi Patres, atque *ad petram undè exciſi eſtis*, (1) Franciſcum, nempè, Sanctiſsimum hujus Familiæ Conditorem, hominemque Divinum oculos, animoſque convertite: recolite memoria illam ſodalium veſtrorum multitudinem, qui doctrinæ laude præſtantes orbem terræ univerſum virtute, & ſanctitate illuſtrarunt: ipſam denique veſtri Ordinis amplitudinem reputate cum mentibus veſtris per omnes regiones, non ſine divino miraculo propagati uſque ad ultimas terrarum plagas: nimirùm talem eſſe, ac tantam ejus dignitatem, & gloriam comperietis, ut ei ſuſtinendæ

(1) *Attendite ad petram, undè exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis : attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Iſai. cap. 51. verſ. 1. & 2.

jure à vobis in tanta optimorum sodalium copia ille præ ceteris eligendus censeatur, qui iis bonis, & ornamentis, quæ optimo moderatori conveniunt, reliquos antecellat. Jam verò quem lateant Francisci Conditoris hujus Familiæ, hominisque Sanctissimi virtutes, & munera divina: quæ nescio an in homine majora, vel aliquando fuerint, vel sint in omni consequenti posteritate temporis futura? Quis nesciat incredibiles illos, perpetuosque conflictùs cum humani generis hoste, cum hujus sæculi voluptatibus, cum divitiis, cum honoribus, dum copiæ, qua affluebat, voluntariam paupertatem, continentiam deliciis, splendori, (2) commodis, ceterisque rebus humanis summam despicientiam anteposuit? Quis illam ignoret familiarem, quasique perpetuam cum eo Cœlitum consuetudinem, à quibus cum gravi morbo decumberet, jucundissima Lyræ modulatione recreatus est, neque Cœlitum modo, sed etiam Deiparæ, & Christi Servatoris, à quo novum illud, maximumque beneficii genus obtinuit cum eximia Chris-

(2(Seraphicum Patriarcham S. Franciscum descendere de antiquissimo, & nobilissimo stemmate *Anicio Frangepano* perspicuè demonstravit P. *Clarus Pasconi* in lib. cui titulus *Historicus progressus*, &c. cap. 12. pagin. 122. edit. Venet. 1744. apud Recurti.

Christiani Populi religione declaratum, tum maximè confirmatum Summorum Pontificum decretis: ut qui sua crimina christiano ritu confessi, in eam ædem, quæ in suburbano Assisinati Angelorum Reginæ dicata est, ingrederentur, iis bonus, & favens, nulla mora interposita, veniam concederet, pœnamque omnem, quam suo jure posset expetere, ultrò concederet? Prætereo, nullas fuisse terrarum oras desertas, ad quas inflammato studio non raperetur, ibique maximos fructus ex ejus monitis, exemplisque sanctissimis Ecclesia non cœperit. Mitto uberes lacrymas, & suspiria, illius animi divini gaudia cœlestia, rerum divinarum studium ardentissimum, & infinita alia, quæ si me percensere posse putem, fallar prorsùs, atque errem. Ne longum itaque faciam, fuit illa Francisci incredibilis virtus, atque divina, quæ tam brevi tempore lucem barbaris gentibus, Christianæ verò Reipublicæ laboranti opem afferre potuit; quam ita crudeliter divexabant, hinc perditorum hominum vitia, hinc nova hæresum monstra, ut nullus pudori, nullus veritati, nullus religioni, patere immò omnes aditus sceleri, audaciæ, erroribus videretur. Quid verò commemorem illud, quo ornatus fuit, mirabile munus, ac planè divinum, cum vera, cruen-

taque Christi vulnera, & immanes cruciatus, quos intimis sensibus habebat infixos, inaudito prorsùs miraculo accepit, ejusque manus, & pedes, ac dexterum latus ita perforata erant, ut veris clavis confixa, veraque hasta transverberata viderentur? Hoc enim verò insigne ornamentum, hoc Divini Numinis facinus tam pulchrum, & admirabile, quis non intelligat, ut virtuti illius eximiæ magnam lucem afferre, ita maximum ex eo splendorem, & gloriam in universam Familiam redundare? Quæ eum habet Parentem, & Conditorem, non jam cœlitibus ipsis, sed Christo Servatori generis humani corporis habitu comparandum, & non modò ceu *alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, sed etiam habentem signum Dei vivi* (3), multo ante tempore prædicatum. Quid præterea dicam de illa sodalium vestrorum multitudine, qui immensam hujus Familiæ gloriam, ab Authore suo partam, ut conservarent, eamque vobis veluti hæreditatem quammaximè firmam, stabilem, certam, æternam deniquè relinquerent, omne studium, & industriam contulerunt? Sed cernitis jam, Religiosissimi Patres, quàm scopulo-

(3) Apoc. cap. 7. vers. 2. Quæ Apostoli verba de S. Francisco dicta esse docent S. Bonav. Leo X. S. Bernardin. Serm. 20. tom. 2. aliique.

ſoſo in loco verſari nunc debeat oratio mea, (ſi tamen eſt oratio ſermo rudis, & impolitus) quæ cum earum, quæ dicendæ ſunt, rerum copia, & dignitate, cum maximè ſi eas perſequar dicendo, pudore meo, & verecundia impeditur. Non enim iis de rebus apud vos tantùm eſt mihi dicendum, ſed in ſapientiſsimo externorum conſeſſu, qui haud ignorant, ſuis de rebus laudem, & judicia ab aliis expectanda. Sed cur dubitem, Viri ornatiſsimi, mihi vos de Majoribus noſtris dicendi facultatem denegaturos, qui veſtra etiam laude, & honoris veſtri luce non caruerunt? Equidem ego cum verecundius de illis jam dudum loquor, tum nil augendi gratia dicam, ſed curabo diligenter, ut dixiſſe me, non laudandis rebus noſtris, ſed nobis excitandis ad eam gloriam optimi delectu moderatoris conſervandam, vos ipſi judicetis. Pulſus eſt jam omnis metus animo, Religioſiſsimi Patres, liberiorem poſthac curſum noſtra tenebit Oratio. Etenim hæc non veſtrum modò, ſed etiam externorum alacritas vultu, oculis, voce ſignificata, meum animum mirum in modum recreat, eoſque ad audiendum, vehementer eſſe inflammatos oſtendit. Verum quod eſt ingenium tantum, & tam incredibile verborum, & ſententiarum flumen, quæ tanta facultas orationis, quæ il-

lorum facta, omnium opinione præclara, divino judicio immortalitate digna, aliqua ex parte commemorare posſit? Qui procùl à sordibus, & omni lucro, sine pecunia, & commeatu adierunt gentes, immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni errorum genere contaminatas; iisque ut incuterent Fidem Christi, & amorem, non animi ferocia, sed submisſione, non minis, ac terrore, sed lenitate, ac benevolentiæ significatione, non instructis copiis, sed imploratis à Deo auxiliis, non armis, sed animis, non feriendo, sed ferendo, non occidendo, sed moriendo dimicaverunt? Quo novo, & insitato pugnæ genere quantum profecerint, opulentisſima Regna, & Imperia per homines victa fermè nudos, & servata declarant, & audacisſimi Populi, Regesque potentisſimi sub Christi ditionem, potestatemque subjecti. Quæso repetite superiorum temporum memoriam, easque recordamini tam multas, tam difficiles, tamque honorificas, quæ obitæ sunt ab alumnis familiæ Pontificum nomine Legationes. Vix dum Ordine constituto Constantinopolim misſi, qui Latinos Cæsares in officio, atque observantia in Apostolicam Sedem continerent. Præfecto Ordinis Bonaventura, qui creatus est posteà Cardinalis,

fuit

fuitque Christianæ Reipublicæ clarissimum lumen, missi in ultimam Scythiam, quæ Sinensium regioni finitima est, egregii viri: qui Catholicam Fidem per eas gentes, libente earum Imperatore (magnum Chamum appellant) disseminarent. Palestinam à Barbaris occupatam permissu Principum barbarorum, qui nostrorum virtute, & sanctissimis moribus capiebantur, Ordo Minorum colere cœpit: nullaque temporum vicissitudine ab ea Domini vinea exclusus est, quam omnium primam humani generis Reparator suo Sanguine consecravit. Sed quid ego ista commemoro? Vos vos Populi, & Regiones, vos oræ, & Insulæ novi Orbis appello, (4) quæ Francisci Solani viri sanctissimi, qui primus fuit gentium vestrarum Apostolus, virtutem suspexistis. Vidistis indè vos Joannis Peretii, & Petri Gandensis opera idolorum obrutas aras, centum fana eversa, bis centum confracta simulacra, ac decies centena millia hominum, qui Martino de Valentia prædicante, Sacro fonte regenerati, uno animo, uno ore, debitam Deo

(4) *Primos omnium, qui tantam hanc Provinciam,* (conversionem; nempè, plurium gentium Japponiæ, Sinarum, Manados, Terrenate, Tunkini, Cambodiæ, Coccincinę, Philippinarum) *aggressi sunt, Franciscanos fuisse legimus.* P. Plato S. I. lib. de Bon. Relig. statu cap. 30. apud Spinosam.

laudem, honorem, cultumque tribuerunt, quo tempore Martinus Lutherus, pestis illa generis humani, Catholicam Fidem, omnemque pietatem evertere nitebatur (5). Quæ verò nunc incommoda, quæ pericula perferuntur à nostris hominibus per eas terras, & quàm incredibiles labores? Nulla eos montium editissimorum asperitas, nulli sylvarum sese latissimè diffundentium recessus, nulla deniquè itineris longitudo deterret, quominùs aditum Religioni constanter aperiant, eamque magis, ac magis in dies efflorescentem aspiciant (6). Ut igitur homines efferatos emolliant, erudiant ignaros, pessundent ubique superstitionem, quid non acerbi quotidie sustinent? Quam multa subeunt vel à feris pericula, vel ab hominibus, qui feras vincunt immanitate? Cujus quidem patientiæ exempla in unius Dei glo-

(5) *Inde verò paucis annis tot baptizabantur in ea novi Orbis plaga: ut alii septies dena centena millia, alii quater decies centena millia hominum in solo illo Mexicano Regno baptizata retulerint*. Surî: in Histor. Convers. Indiar. loquens de Martino de Valen.

(6) Videsis Chronicam P. Isidori Spinosæ de Collegiis Missionariorum Frat. Minor. in novo Orbe, edit. Mexican. ann. 1746.: indè enim agnosces, verè ab Eminen. Cardin. S. C. de Propag. Fide Urbano VIII. Summo Pontifici dictum esse in Congreg. hab. 1626. *Sacram Congregationem*, ajebant, *multum indigere pro suo Instituto opera Fratrum Minorum, nec sine ipsis posse assumpto muneri pro dignitate satisfacere*. Apud eumd. in Prolog.

gloriam, & solatium Ecclesiæ Christi universæ in tanta rerum angustia, & egestate à nostris eduntur: ut satis appareat, studium Catholicæ Religionis, quod in Sanctissimo Conditore fuit eximium, in filiorum pectoribus non esse restinctum. Quos enim Populos ætas superior ignoravit, *à terra divisos, clausos insulis*, (7) *pendentes rupibus, solitudine immotos*, didicit nostrorum Religio, quorum virtus supra universam terram progressa, ultra Occeanum alterum sibi Orbem quæsivit (8). At quis singula vobis exponat in præsentia, Religiosissimi Patres? Convertite mihi nunc animos in omnes partes, & quoniam oculis non potestis mente, & cogitatione circumspicite omnes terrarum oras. Incurrent undique nostrorum sodalium ubique impressa vestigia Religionis, quæ illorum industria domicilium & sedem adepta est in orbe terrarum ferè universo: hæc in Pannonia, & Brittania, hæc in Ægypto, & Ethyopia, hæc in Syria, & Palestina, hæc in Thracia, & Armenia, hæc in India, & Sinarum Regione, hæc in media Bar-

(7) S. Petrus Chrys. Serm. 83.

(8) *Et quæ prius erant efferatæ nationes, receptum postea Dei verbum fideli corde tenentes, fructus salutis ediderunt.* S. Paulin. epist. 4.

Barbaria Scythici Imperii, hæc denique in Insulis Eoi maris, & in utraque America perspicietis. Quis verò oratione consequatur, immensos eorum labores ad Religionis integritatem in Fide, & moribus conservandam, ad Pontificis Maximi tuendam authoritatem, ad exornanda studia Litterarum? Contra Hæreticos Beguardos insignis Theologus, & Scholæ Princeps *Joannes Scotus*, & voce, & scriptis acerrimè decertavit. Hussitas in Bohemia, Fraticellos in Italia, quæsitores hæreticæ pravitatis ex Ordine nostro coercuerunt, sectamque funditus everterunt. Imperator Æthyopum, Eugenio IV. Pontifice opinionibus pravis nostrorum opera abjectis, Romanam Fidem amplexus est. Habet janua Templi Vaticani, quæ ceterarum est media, expressam in ære anaglyptico opere monumentum rei gestæ ab homine nostro, jussu Pontificis collocatum. Is fuit Albertus Sartianensis: res verò gesta, ipsius ad gentem jacobinorum legatio, quæ in Ægypto, & Æthyopia, in Mesopotamia, atque Syria errores turpissimos sequebatur, & à Romani Pontificis auctoritate disjuncta erat. Ibi cernere est Patriarchæ Legatos, Alberto Duce, Vicarium Christi devenerantes, & Fidem Romanam, abjectis erroribus profiten-

tes.

tes. Nihil dico de illis, qui tempore ſchiſmatis Anglicani ſanguinem fundere decreverunt potius quam Romani Pontificis auctoritate contempta, ſtultiſsimum Regem pro Sacrorum Antiſtite venerari. Nihil de Sancto Bonaventura, qui in ſecundo Concilio Lugdunenſi à Græcorum Epiſcopis pro oraculo eſt habitus. Prætermitto Andream de Vega, Alphonſum de Caſtro, & Franciſcum Horantium (9): quorum in Tridentino magnum nomen ſapientiæ fuit. Taceo Joannis Calvi prudentiam, (10) à Summis Regibus, ad quos à Paulo III. Pontifice prudentiſsimo Legatus fuit, maximè commendatam. Quid? Quis propagavit cultum Sanctiſsimi nominis Jeſu, & immaculati conceptus Virginis Maximæ? Quis morem invexit ſalutationis Angelicæ, quam ad recolendam memoriam illius myſterii divini, cum Deus pro hominum ſalute factus eſt homo,

(9) Erant hi omnes Hiſpani. Primus egregiè ſcripſit de Gratia juſtificante: ſecundus adverſus hæreſes, & de juſta hæreticorum punitione mira eruditionis copia, ac ſoliditate doctrinæ: Horantius de ſeptem locis Catholicis adverſus Calvinum tanta eloquentię vi, ac pondere argumentorum, ut eum dicas alterum Tullium contra Verrem.

(10) Is in Regno Corſicæ natus in Civitate olim celeberrima, quæ nunc *Calvi* appellatur, & eſt arx munitiſsima, ac Sedes Epiſcopi Sagonenſis, Præfecturam totius Ordinis geſsit, atque in Tridentino Concilio, è vivis deceſsit, magno cum honore Tridenti ſepultus.

mo, summo manè, meridie, ac vespere recitamus (11)? Quis ea loca, quæ vulgò *Montes Pietatis* dicuntur, juvandis pauperibus excitavit, iisque ab Hebræorum oppressione liberandis (12)? Quid? Qua nostri scientiarum laude floruerunt: earum ut forent non cultores modò diligentissimi, sed & novarum Artium, & studiorum inventores? Nonnè Lyranus in Sacris Libris ad litteram exponendis omnium consensu Familiam ducit (13)? Quid verò Crabium commemorem, qui omnium primus in unum corpus redegit actaConciliorum Generalium labore, ac diligentia incredibili; & litterariæ, ac christianæ rei bono edidit in publicam lucem, & doctissimis notis adornavit?

(11) Ejus moris inventorem fuisse Div. Bonaventuram, tradunt Scriptores omnes.

(12) Scitum est, B. Bernardinum à Feltro ea loca instituisse. Mons pietatis in Urbe Roma, opera Joannis Calvi, de quo supra diximus, fuit institutus.

(13) *Inter innumerabilia penè opera, quorum varietate Divina Scriptura circumdata refulget, Postilla Nicolai de Lyra tàm sui recentia, quàm digna celebritate clarescit.* Paul. Burg. in Prolog. addit.

vit (14)? Quam præclara, & illustria Rogerii Bacconi inventa, in explicandis naturæ arcanis, novisque fingendis instrumentis, ad Mathemathicas disciplinas faciliùs comparandas (15)? Tempus me citiùs deficiat, quàm omnia possim enumerare, quæ homines nostri aut invenerunt per se sapientiùs, aut accepta ab aliis fecere meliora, quæ quidem digna vidissent, in quibus elaborarent. Itaque multa prætereo consultò; vereor enim ne hæc ipsa nimiùm multa esse videantur. Neque verò verba faciam de illa nostri Ordinis amplitudine, qua, diximus, cujusque familiæ splendorem, & dignitatem imperii contineri. Dicam enim

(14) *Fecimus*, jure de se Crabius ait, *quod in hunc usque diem (ut citra jactantiam loquamur) fecit nemo.* Id. in Præfat. ad Lect. Editores etiam, quanto labore eam collectionem perfecerit, his verbis significant: *Manuscripta longè, latèque per Regna aliquot, & multas Christianorum Provincias, immò etiam & per quingentas Bibliothecas ab Auctore laboriosè conquisita feliciter juxta, ac diligenter excerpta, Typysque tandem nostris ad totius Christianæ Reipublicæ utilitatem feliciter excusa. Lege igitur, ac relege hosce duos Conciliorum Tomos, in quibus multa veterum Concilia deprehendes, quæ in hanc usque diem à maximis, atque doctissimis viris haberi minimè potuerunt.* Iidem in fin. 2. Tom. edit. Colon. ex Officin. Petri Quentel ann. 1537. 14. Kal. Septemb.

(15) Videsis Bacconi Opus majus, & epistolam Samuelis Jebb. ad Richard. Mead, ac Prologum Galeatum eidem operi præfixum, edit. Venet. ann. 1750. apud Pitteri.

enim quod ſentio, Viri ornatiſsimi, & ut arbitror, dicam verè, nimirùm ſolis quandam ſpeciem, & imaginem Ordo Minorum præſeferre videtur, radiorum vi penetrantis in omnem terram, & non proxima tantùm loca, & vicina, ſed remota etiam, & longinqua luce ſua quoddammodò implentis (16). Quod qui ſeriò conſiderant, non hominum induſtriæ, & ſolertiæ, ſed Dei Optimi Maximi potentiæ id tribuendum jure putant: qui pro ſua bonitate, atque ſapientia hunc Ordinem humilem, verèque Minorem, ac rebus omnibus deſtitutum humanis ita provexit, confirmavit, adjuvit, ut ſperare nos quoddammodo jubeat, vires divinas imbecillitati noſtræ, inſipientiæ conſilium, & ad ſequendam in rebus omnibus veritatem clariſsimum lumen nunquam impoſterùm defuturum. Ad voſmetipſos jam revertor, Religioſiſsimi Patres. Cum tanta, & tam præclara ſit hujus Familiæ gloria, ab illa Conditoris ſui virtute profecta, veſtrorum poſtea ſodalium laboribus amplificata, qui ad hominum ſcelera, impietatemque extirpandam, ad ornandam Religionem, ad Chriſtianam Rem-

---

(16) *Citò lux Cœlum, terras, maria illuminat, & momento temporis, ſine ulla comprehenſione retectis ſurgentis diei ſplendore regionibus, noſtro ſe circumfundit aſpectui.* S. Ambroſ. lib. 1. Hexam. cap. 9.

Rempublicam dubiis formidolosisque temporibus tuendam, & conservandam singulari religione, & doctrina dimicaverunt, videte, obsecro, quem huic moderandæ Familiæ, ejusque gloriæ sustinendæ Præfectum eligatis. Ponite, quæso, vobis ob oculos tam numerosam Majorum vestrorum seriem, quorum virtute, & sapientia tantam gloriam estis adepti. Quàm multas imagines non solùm ad intuendum, sed etiam ad imitandum veræ virtutis expressas vobis illi reliquerunt, quas in publica re nostra administranda vobis proponentes, animum, mentemque vestram ipsa cogitatione hominum excellentium conformaretis! Atque illi in præsentia, qui nihil unquam præ Familiæ splendore, ac dignitate optandum sibi, aut magnifaciendum putarunt, vobiscum sic agere, & quoddammodo tacitè loqui videntur. Nos hanc Familiam vobis ut conservaremus florentem rebus omnibus supra naturam, supra consuetudinem, supra mortalitatem, eam non tàm homini, quàm illius virtuti regendam committebamus (17). Exulabat à nobis amor Patriæ, cognationis, privatæ

(17) *Exeunt à nobis* (ajebat Theodoricus) *dignitates relucentes, quasi à Sole radii, ut in Orbis nostri parte resplendeat custodita justitia.* Apud Casiodor lib. 2. epist. 23.

tæ utilitatis: quæ ubi de eligendo moderatore deliberandum eſt, ſi quis publicæ ſaluti, ac tranquillitati anteferenda putet,is non imprudens modò, ſed impius eſt, ac prorsùs inhumanus. Nos iis omnibus amputatis, & circumciſis nihil aliud in futuro moderatore ſpectabamus, quàm ornamenta virtutum, quibus ſplendor Ordinis, & dignitas Præfecturæ potiſsimum continetur. Ex qua noſtrum in deliberando ſolertia, & integritate, quæ laus, quæ felicitas ad univerſam Familiam promanavit? Gaudetis hìc in Capitolio *pauperum pedes* eſſe poſitos (18), & in hac Arce omnium gentium, Romanorum majeſtate, & triumphis illuſtri, Auguſtiſsimum Templum, & religioſiſsimas ædes vobis eſſe collocatas. Gaudetis in eam,quam induitis,ſquallidam, humilemque veſtem PontificesMaximos,Regeſque potentiſsimos Sacroſancta, & Regia ornamen-

18 *Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.* Iſai. cap. 26. verſ. 6.

menta vivos, mortuosque mutasse (19). Gaudetis hoc Comitiorum tempus Pontificis Maximi, ac Sapientissimi auspiciis, & præsentia ad æternam posteritatis memoriam esse consecratum: renovantis hac tàm illustris voluntatis erga vos significatione antiquam Majorum suorum pietatem, qui sacram illam Virginem *Joannam Lambertinam* sanctitatis fama percelebrem vestro sodalitio pepererunt (20). Atque hæc, Religiosissimi Patres, ratio, & magnitudo animorum in Majoribus nostris fuit, ut cum in privatis rebus, suisque negotiis minimo contenti, tenuissimo cultu viverent, in imperio, atque in publica dignitate omnia ad gloriam, splendoremque Familiæ revocarent. Video commoveri vos hoc illorum sermone dignitatis, & gravitatis pleno: & quantum ejus gloriæ conservandæ studium vestros animos inflammat, tantum urgeri

(19) *Gregorius IX.* inquit Gulielmus Burius in Libro, cui titulus: Romanorum Pontificum brevis notitia, *S. Franciscum canonizavit, multisque privilegiis Franciscanos affecit, & ex devotione eorum habitum in vita tulit, eoque sepultus fuit: Et Martinus IV., qui in Franciscano habitu mori, & sepeliri voluit.*

Extat Neapoli Mausoleum in Templo Monialium Sanctæ Claræ: cujus ex uno latere Robertus Siciliæ Rex exprimitur Regiis ornamentis, ex altero Franciscano habitu, quo interdum cum viveret, utebatur, indutus.

(20) Videsis allocutionem à Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIV. habitam in Comitiis Generalibus.

ri vos ea, qua præditi estis animi demissione, ut quisque vestrum sustinendæ hujus Præfecturæ dignitati, se alienum reputet. Gaudeo vehementer, Religiosissimi Patres, nulla vos honorum cupiditate teneri: ex qua veluti ex Orci faucibus, quæ probra, quæ dedecora, quæ flagitia proficiscantur, quàm multæ, gravesque pestes ex hoc uno fonte manent, non est necesse dici. Utinam res tam obscura esset, ut nisi diceretur à me, à nemine posset intelligi. Quamquam enim nulla melior sit in hominibus ingenii indoles, quàm eorum, qui ad tutandam, juvandamque Rempublicam sunt ipsa natura comparati, tamen miserè falluntur interdum (21), qui non satis acutè, ac diligenter in semet ipsi inquirentes (22), ita se

(21) Plerumque in occupationibus regiminis ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur. Quia quieto mari, rectè navem & imperitus nauta dirigit; turbato autem tempestatis fluctibus etiam peritus se nauta confundit. *S. Gregor. lib.* 5. *Paster. cap.* 9. *Et Philo ajebat*: Cogitet, qui honorem affectat, tempestatem se affectare. *Apud Sperel. in opere, de Episcopo, pag: Mihi* 159.

(22) Si omninò dignus fueris operari aliquid, quod Deo placeat, & aliam adhuc præter hoc ipsum mercedem requiris, verè ignoras, quantum boni sit placere Deo. Si enim scires, numquam aliquid aliud extrinsecus mercedis, aut muneris appeteres. *S. Joann: Chrysost: lib.* 2. *de Concord.*

C...

ſe natos eſſe, nihilque ſuæ naturæ congruentius, quàm in petendis honoribus induſtriam ponere, omneſque nervos contendere, arbitrantur. At verò dici vix poteſt, quàm multis, quàm acerbis curis (23) obſeſſus ſit ampliſſimus ille locus imperii, & dignitatis, vix etiam cogitatione comprehendi, quantæ ſint exſorbendæ difficultates Moderatori Reipublicæ, quibus ſæpenumerò affectus, atque afflictus, ſervire malit, quàm imperare. Quid enim eſt, aut tàm arduum, quàm ex infinita multitudine exiſtere unum, qui id, quod curas multorum, & contentionem requirat, id ſæpè cum paucis, interdùm ſolus præſtare debeat: aut tam moleſtum, tàmque difficile (24), quàm Reipublicæ ſalutem, dignitatem, religionem unius cura, & imperio integram incolumemque ſervari? Quod ſi illas oratione complectar, quæ occurrunt in Ordinis noſtri Præfectura gerenda, quum eſſe maximas deprehendetis, tum verò ſtatuetis, eam non alteri potius decernendam, quàm homini, qui

 ut

(23) Iſta, quæ ſic petis, tamquam datura lętitiam, cauſa dolorum ſunt. *Senec. epiſt.* 39.

(24) At verò homini cum difficile ſit ſcire parere, tàm multò difficilius eſſe videtur, ſcire hominibus imperare, ac præſertim in hoc noſtro imperio, quod in Lege Divina ſitum eſt, & ad Deum ducit. *S. Gregor: Nazianz; Orat:* 1. *num.* 21.

ut ſupra ceteros dignitate, ſic virtutibus inter omnes emineat (25). Age verò. Ipſa Familiæ amplitudo, ſi nulla etiam re alia impedireris, quàm grave pondus, quàm ingens eſt, quàm moleſtum! Meminiſtis Moſem Divinum illum, ac fortiſsimum Ducem Iſraelitarum ſola ſuarum gentium multitudine ita turbatum, & afflictum, ut ab illo, cujus numine regebatur, immortali, ac præpotente Deo rectionem earum, & imperium (26), non prece ſolùm, & obſecratione, ſed querimoniis, confirmatoque animo fuerit deprecatus. Scilicèt ille non minis, ac terrore crudeliſsimi Regis, non hoſtium inſidiis, non armis, exercituque Ægyptiorum, non ſerpentum, non fluctuum maris Erythræi, non deficientis aquæ periculis, ſed ſola illius multitudinis regendæ cura commovebatur. Audiſtis gra-

(25) Certè neque mare unquam poteſt undis carere, neque illius animus curis, atque anguſtia. S. Joan: Chryſ: lib: 5. *de Sacerd.*

(26) Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum? ..... Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc Populum, quia gravis eſt mihi: quia, *legit Pagninus*, ſupra vires meas eſt. Numer: cap. 11. v. 11 - *Et S. Chryſoſt.*: Non poſſum ferre pondus hujus Populi, ordina alium temetipſum. Homil: de Spir: Sanct.

graviſsimam difficultatem: audite nunc graviorem. Eſt Familia hæc noſtra quoddam veluti corpus cum multis membris, tum etiam diſsimilibus conſtans: quæ eò majorem afferunt corpori dignitatem, quò magis illud mira varietate diſtinguunt. In tanta verò diſsimilitudine membrorum, quæ in nobis conſpicitur, eadem ſemper fuit animorum, voluntatumque ſocietas, eadem dictorum, factorumque conſenſio, quæ cum nullis diſcrepantium opinionum fluctibus, & procellis exagitata fuerit, tum nulla vi poteſt, nulloque improbitatis turbine diſſolvi. Ut quondam fuit multitudinis credentium cor unum, & anima una, ſic, Dei munere, omnes noſtri Ordinis alumni, quales magni illius Franciſci imitatores eſſe convenit, uno animo, una ſententia, una voluntate conſpirant. Nullum eſt gentium, nullum Nationum diſcrimen, nihil intereſt, ubi quiſque ſit natus, non refert, quam ſecutus fuerit ante diſciplinam, modò ſe contulerit ad Franciſcum. Non eſt Italus, neque Germanus, non eſt Hiſpanus, neque Gallus: ſed omnes gente, patria, ætate differentes corpore, & animo unum ſumus (27). Ve-

(27) Omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt. Ad Cor: 1. cap. 12. v. 12.

rum ut membra corporis ea quidem omnia vivunt eodem ſpiritu, ſingula tamen non eadem lege moventur (28), ſic una, eademque eſt regula, quam ſequimur, unus idemque Supremus Moderator, cui paremus: legibus tamen propriis, ceu motibus diverſis ſingula hujus myſtici corporis membra feruntur ad illum vivendi morem, quem à Sancto Franciſco accepimus, caſtè, integrèque colendum. At quàm difficile eſt Moderatori, qui totum corpus hujus Familiæ velut animus format, fingit, & regit, omnia membra, quæ ei ut capiti conſtricta, & colligata ſunt, ſic conjuncta ſervare, ut penitùs quoad noſtra fert mortalitas, inſit alterum in altero, ac firmiſsimo pacis vinculo ſic conjugata ſint, & connexa, ut hæc illorum conjunctio, nec ambitionis æſtu, & jactationibus diſtrahi, nec opinionum varietate diſrumpi, aut diſcindi poſsit, ſed pietatis, & ſanctitatis communione integra ex omni parte, inviolataque ſervetur? Quanta verò ei, qui hoc tantùm munus ſuſcipit, impendit undique curarum moles, &

(28) Omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Ad Rom: cap: 12. verſ. 4. & 5.

(29), & negotiorum? Is consulere debet, ut excolantur studia litterarum: quas si deleri ex animis hominum, aut in usu rerum extingui contingat, non alius expectandus Reipublicæ status, quàm mundi nondùm illustrati luce, ubi cuncta temerè mixta, atque confusa veluti per noctis immensæ vastam voraginem sine lege volutentur. Ille pro legum firmitate retinenda numquam cedere, neque cujusquam gratiæ, neque potentiæ Summorum Principum, nisi fides, & ratio postulaverint. Ut enim omnis modestiæ, & humanitatis ratio in Legum disciplina, & severitate consistit, sic Legibus justitia continetur; qua quidem nihil excogitari potest, nec ad statum Reipublicæ conservandum securiùs, nec ad Populum continendum vehementiùs, nec ad gloriam Dei propagandam conducibilius. Is in maximis turbinibus, ac fluctibus, cum oportet, Reipublicæ navem gubernare, Is impendentibus tempestatibus, Is omnibus incommodis, ac

G 4 peri-

(29) Difficiles etenim curæ, densoque ruentes
Agmine, rodentes animum, resolutaque membra
Me totum in terram, de qua mortale creatum
Est genus, assiduè volvunt, miserèque fatigant.
Nazianz. carm. 9. de Vita Christo digna.

Et S. Gregor. epist. 30. ad Patrit. Gemo quotidie occupationibus pressus, & respirare non valeo. *Et lib. 22. Mor. cap. 17.* Omne quod hìc eminet, plus mœroribus afficitur, quàm honoribus.

periculis se unum pro omnium salute offerre. Quamobrem si Viri Sapientissimi eos dixere amentes (30), qui Militum, aut Civitatum appetunt Imperia, quod ex iis non alios fructus percipiant, quàm curas (31), odia (32), solicitudines, angores, vitam molestissimis negotiis implicatam, districtum animum, & inter offensionis metum, & rei familiaris, atque publicæ diligentiam, miserabiliter hæsitantem (33), quo tandem nomine eos appellaveris, qui avidissimè cupiant, in iis hominum familiis dominari, qui se vitæ sanctioris institutis dediderunt? Tanto enim illarum rectio (ut est præclarè dictum à sanctissimis Viris) *Difficilior est ipso terrarum orbis imperio, quantùm interest inter aquam fluminis vento agitatam, ac mare insaniens, & intumescens* (34). Quare cum tanta sit Præfecturæ hujus Familiæ dig-

(30) Unusquisque, qui non sit amens, potins eligit alium sibi preesse, quàm dum multis aliis ipse consulit, multis se negotiis implicare. Plat: lib: 1. de Rep.

(31) *Aurea rumpunt tecta quietem,*
Vigiles trahit purpura noctes. Senec: in Herc: act: 2.

(32) *Simul ista mundi Conditor posuit Deus odium, atque Regnum.* Senec: in Theb. vers. 655.

(33) *Si malè rexero, Diis displicebo, sin benè, Civibus.* Chrysipp: Philosoph: Athenien: ap: Stobæum.

(34) Chrysost. in cap. Act. 1. Apost. *Hinc Prælati*, inquit, Innoc. III., *quasi signum positi sunt ad sagittam.* In Decret. cap. *Qualiter*, *&* *quando* 24. de Accusat.

dignitas, quanta maxima esse potest: tantæ verò in ea administrandæ difficultates, ut quisque vel solo eorum aspectu, & cogitatione planè animis cadat, quàm egregia virtute sit ornatus oportet (35), qui ad tanti muneris gravitatem, dignitatemque sustinendam à vobis eligatur? Qui candor animi, quæ morum integritas, quod studium gloriæ divinæ amplificandæ esse debet in eo, in quem ceteri tamquam in exemplar omni ex parte perfectum intuentes, possint componere mores suos (36)? Quæ doctrinæ abundantia ad arguendum, quod robur patientiæ ad obsecrandum, qui ardor animi ad suscipiendos labores, quantum deniquè consilii, & prudentiæ, quæ propria est virtus imperantium, & cujus usus non tàm optimo Duci, atque Rectori præsidio est, quàm ipsi Reipublicæ, quæ illius auctoritate, & imperio temperatur? Quibus animi bonis, ac præsidiis si orbatos esse contingat, qui moderantur Rempublicam, nihil rectè, nihil ordinatè fieri potest: sed ut in putri, ac ruinosa ma-

(35) Oportet te esse formam justitię, sanctimonię speculum, pietatis exemplar . . . . refugium oppressorum, pauperum advocatum. S. Bern: lib:4. de consid: ad Eugen.

(36) *Populus non alio animo Rectorem suum intuetur quàm si Deus immortalis potestatem visendi sui faciat.* Senec. lib: de Clem: cap. 19. - Et Homer. Iliad.

Vadentemque per Urbem adspectant Numinis instar.

Digitized by Google

maceria si malè hærentem ex ima parte lapidem evellas, tota moles, & congeries repente subruitur: sic detracta, subductaque virtute Rectoris, omnia, quæ sunt distincta locis, designata ratione, & legibus, atque ordine distributa perturbari, & commisceri necesse est, & ita tandem Rempublicam fractam, ac dilaceratam everti. Neque verò solus Princeps tot, tantorumque malorum damnandus est, sed ii potissimùm, qui elegerunt. Qui pro salutari, ac benefico Principe imponunt Reipublicæ molestum, & importunum, nullis munditiis, nullisque artibus excultum, bardum, omnisque eruditionis expertem, truncum, nimirum, aut lapidem, sine oculis, sine auribus, sine sensu. Qui supra verticem arboris, quam in somnis Rex vidit Babilonensis, inertes evehunt animantes, ut ille ajebat (37), volucres verò Cœli premunt in imis. Qui non ri-

(37) *Quid quæso hoc genus monstri est, quod nostri temporis arbores Ursos, & Leones, vel alias hujusmodi quaslibet bestiales mentes portant in ramis, volucres verò Cœli, & qualibet volatilia pennata contra conditionis jura, Creatorisque instituta premunt in imis? Quoties ego vidi, vidensque ingemui impium superexaltatum, & elevatum super Cedros Libani? Quid quæso est, quod facitis, quod hujusmodi bestialia corda, & bruta in sublime attollitis?* Richard: Victor: in lib. 2. de erudit: inter: cap. 17. super illud Daniel: cap. 4. vèrs. 8. *Magna arbor, & fortis, &c.*

rigidè, & ſummo conſilio agunt deliberatores (38), qui non repellunt cupidos imperii (39), non eos improbant, qui non virtute, ſed ambitione petunt Magiſtratum (40), non denique canitiem virtutis in Principe requirunt (41). Quare cum non alii magis, permiſſu Divino, vexantur ab improbo Principe

(38) *Quod ſi pro rei magnitudine expediatur, numquam ſatis de eo cautum videri poteſt. Nam totius Familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.* Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. Et S. Bern. *Conſilio, non prece hìc agendum. Itaque pro quo rogaris, ſit tibi ſuſpectus, qui verò pro ſe rogat, jam judicatus eſt: nèque intereſt per ſe, an per alium quis roget.* de conſid. ad Eugen.

(39) *At enim Magiſtratus dandi ſunt hominibus imperii minimè cupidis; alioquin ſimultas inter æmulos oritur.* Plat. de Rep.

(40) *Virtute, ambire oportet, non favoribus,*
Sat benè favitorum ſemper qui rectè facit. Plaut: in Am.

(41) *Nauticam Legem laudo, quæ Gubernatori futuro primò remos tradit, deindè ad proram eum collocat, ſicque prioribus muneribus ipſi commiſsis, tandem eum poſt diuturnam navigationem, ac ventorum gubernationem ad gubernacula conſtituit. Eadem rei militaris eſt ratio: Miles primùm, deindè Centurio, tum Imperator.* Nazianz. Orat. 20., qui antea dixerat: *Nos una die ſanctos fingimus, eoſque ſapientes, & eruditos eſſe jubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quicquam tulerunt, præterquam velle..... Papè quàm egregia Præfectura! Quàm excellens animus! Protinùs Samuelem ab incunabulis ſanctum in ore habemus: protinùs ſapientes ſumus: protinùs Præceptores: protinùs Legiſlatores: protinùs rerum Divinarum cognitione ſublimes, noſque ipſos calculò noſtro deſignamus.* Id: ibid.

cipe, quàm ii, qui elegerunt (42), tum quod illius nequitiæ participes fiant (43), supplicia sibi merentur, pœnasque sempiternas. At verò in Principem, qui non virtute, sed fraude, & potentia illam occupat celsissimam Sedem dignitatis, & imperii, quàm acerba hominum odia (44), quàm argutæ, ac publicæ despectiones (45), quàm denique insignem ei labem dedecoris, & infamiæ, vel ipse Principatus aspergit (46)! Quem jure dixeris non se-

(42) *Ea de re satis est Ludovici XX. Imperatoris fatale exemplum: contra quem ii, quos indignos ad sacras infulas promoverat, permisit Deus, ut unà cum filiis suis à Fide deficerent.* Agobard. Archiep. Lugdun: ap: Baron: ad ann: 833.

(43) *Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est ille, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis fructum sibi comparat, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium, ita gravi semetipsum afficit damno, qui ad sua dignitatis Collegium sublimat indignum.* S. Leo in epist: ad Episc: Africæ.

(44) Homines in neminem magis, quàm in illos insurgunt, quos imperium adversùs se moliri senserint. Xenoph. in proem. Pędias:

(45) *Quidam ante dignitatis adeptionem satis commendabiles existunt; sed super candelabrum ... constituti lucem in tenebras, & famam in infamiam converterunt .... Crevit honor, & cum honore infamia .... & in ejus infamiam linguæ omnium accuuntur.* Nazianz. orat. 1.

(46) *Quid est aliud Principatus sine meritorum sublimitate, quàm hominis titulus sine homine?* Salvian: lib: 4. de Gubern.

felicem, sed miserum (47), non honoratum, & Principem, sed ipso ornamento deturpatum (48), non ruentem modò, sed planè dejectum in ultimam infamiæ, & calamitatis fæcem (49). Quid? An ægrè non accipias imperium illius, cui nec virtus amorem conciliat, nec fides auctoritatem facit, nec opinio felicitatis alacritatem incitat? Quid? An eum non rideas, qui in altissimo dignitatis loco positus, non exprimat Principem, sed *exiguam veluti statuam, ac deformem, quæ excelsis imposita, ac magnificis basibus multo minor, ad aspectum proponatur, multo magisque ridenda* (50). Magnum nomen est, magna species, magna Majestas Principis; non capiunt angustiæ pectoris à virtute abhorrentis, non recipit levitas animi, non egestas, non infirmitas ingenii sustinet tantam personam, tam gravem, tam severam. Sed quid ego his argumen-

(47) *Pietate miseri, dignitatis splendore infelices.* Naz: orat. 1.

(48) *Sic Cæsar eum quosdam honorare voluit, non ipsos honestavit, sed ornamento deturpavit.* Plutarch: ap: Sperell. par: 1. cap. 18.

(49) .. . *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Senec. Egregiè S. Augustin. sup. illud Psalm. *Dejecisti eos dum allevarentur*, ait: Dejecisti eos, quia elati sunt, non quasi postquam elati sunt, dejecti sint, sic enim efferri jam cadere est.

(50) Plutarch. Et Arist: sapienter: *Principatus*, ait, *virum ostendit*. Ap. Sperel. ubi supr.

mentis utor, quasi res dubia, aut obscura sit? Ecquem aliis imperio regendis ut præficiatur, Paulus designat? Nonnè eum qui ita sit paratus à virtutum præsidiis, ut nullus in eo pateat reprehensioni locus (51)? Deus verò, ipse inquam Deus, quem alium eligi jubet ad supremum Sacerdotium veteris Legis? Nonnè eum, *qui jure patri successerit* (52)? Qui nempè, non vultu solùm, & habitu, sed moribus, & virtute Patris imaginem referat. Atque ego Divinum hoc præceptum cum mecum ipse contemplor; non magna deliberatione opus esse affirmo, quis huic moderandæ Familiæ ex vobis præficiatur: quorum omnis vitæ ratio ad illam Sanctissimi Francisci virtutem expressa est. Verùm si ut in stellis alia aliam nitore, & claritate vincit, sic in amplissimo, ac religiosissimo consessu vestro sit alius alio iis instructior ornamentis, quæ optimo Moderatori conveniunt, non alium (quod non sine

(51) *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Ad Timoth. cap. 8.
(52) Levitic. 6. v. 22.

ſine ſcelere fieri poteſt) (53), ſed *hunc eligite, & eum ponite ſuper ſolium Patris ſui.* Etenim naturæ ratio flagitat, ut qui ſapientior eſt (54), regat, & ducat alios, qui non eumdem gradum ſapientiæ ſunt aſſecuti: id præterea jure à vobis poſtulat, cum ipſa Præfecturæ dignitas, quæ ampliſsima eſt, tum quæ maximæ ſunt difficultates in ea adminiſtranda. Quid reſtat, niſi ut in hac extrema orationis parte vos orem, & obteſter, Religioſiſsimi Patres, ſi quid mihi aliquando quamvis indigno exiſtimaſtis eſſe concedendum, ut eam gloriam, quæ vobis à majoribus cum magna in ceteris rebus, tum verò ſumma in optimorum delectu Moderatorum tradita eſt, hanc vobis ipſis, hanc Familiæ univerſæ conſervetis? Si unquam Ordo Minorum conſilium, gravitatem, ſapientiam, providentiam veſtram imploravit, hoc tempore, hoc, inquam, tem-

(53) *Non bonus, non melior, ſed optimus eligatur.* S. Leo in epiſt: ad Anaſtaſ. Epiſt.

Quamquam verò PontificiæLegis periti docere videantur, excuſari à culpa in aliquo eventu, qui non meliorem inter bonos, ſed inter melioresbonum eligunt: Contrarium tamen docent Theologi. Vide S. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. ad 3. & Sotum de Juſtitia, & Jure lib. 3. quæſt.. 6. art. 2. & Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform.

(54) *Dignum eſt dignos principari.* Ariſt. 2. Ethic. *Et Alexander roganti, quem vellet in Regni ſucceſſorem, reſpondit, Digniſſimum.* Apud Juſtin. lib. 12. & Curtium lib. 10.

tempore implorat. Sic enim putare debetis, omnia Ordinis decora, totum statum Familiæ, omnem laudem temporum præteritorum, salutem præsentium, spem reliquorum in vestra potestate, in vestris sententiis, in hac una deliberatione esse positam, atque defixam. Cogitate qui sitis, quo loco sitis, quid dare universæ Familiæ, quid reddere majoribus vestris debeatis. Ii estis, qui salutem omnium sodalium, ornamenta Familiæ, ipsum denique Ordinem universum vestris humeris, vestris, inquam, humeris hoc maximè Comitiorum tempore sustinetis. Romæ estis in Arce Religionis, & Imperii, in luce Orbis terrarum, & omnium gentium: quæ cum magno erga nos amore, & charitate, cum maxima horum Comitiorum expectatione tenetur (55). Estis denique ex hominum prudentissimorum Familia, qui vel in ea moderanda, vel eidem Præfectis designandis, cum laudem sibi compararunt sempiternam, tum maximè vobis hoc genere exempli (56) ad honestatem præive-

(55) Cavete ne in vos erubescant vestrorum merita majorum, ne fortè & illis dicatur: Cur talem instituistis? Cur talem elegistis hæredem? *S. Ambr. lib. de Nabuc. cap.* 13.

(56) Mementote Prępositorum vestrorum.... quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem. Ad Hebr. cap. 13. vers. 7.

ivertunt. Cogitate demùm, non in domo, ſed in Republica Præfectum eſſe quærendum (57): eligendos non tam propinquos, & ſocios, quàm virtute præſtantes: dignos eſſe alios, qui petant, alios, qui accipiant (58). Quod ſi effectum per vos erit, pudori ut vivant, qui iniquè ambiunt (59): qui excellunt virtute, gloriæ, & imperio, hæc veſtrorum in Ordinem univerſum fama meritorum, & laus nominis veſtri ad omnem poſteritatis memoriam tranſmittetur (60). Quare homines ſapientes, & iſta auctoritate, & conſilio præditos, (61), quales vos eſtis, eamdem gloriam, & laudem

(57) *Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſivit*, inquit Galba, cum Piſonem adoptavit, *ego in Republica, non quia propinquos, aut ſocios belli non habeam, ſed neque ipſe imperium ambitione accepi, & judicii mei argumentum ſint non meæ tantùm neceſſitudines, quas tibi poſtpoſui, ſed & tuæ: eſt tibi Frater nobilitate, natu major, dignus hac fortuna, niſi tu potior eſſes.*

(58) *Tu eras dignus, qui peteres*, reſpondit Cæſar Auguſtus petenti Magiſtratum, *ille qui acciperet.*

(59) *Vive pudor fatis.* Claudian. adverſus Eutrop.

(60) Joannes VIII. Summus Pontifex Carolum Calvum Galliarum Regem laudat ob ſtudium, *quo ſemper idoneos*, inquit in Epiſt. 8. *Eccleſiæ viros quadam naturalis ingenii nobilitate deligeret*: & Lampridius Alexandrum Severum, quod honoribus publicis ſpoliaverit ab Eliogabalo iniquè promotos, eoſdemque decreverit viris dignis. Idem in Alexand. Sever.

(61) Splendor veſter facit, ut peccare ſine Reipublicæ detrimento, & periculo non poſſitis. Cicer. in Verr. lib. 3.

dem optimi delectu Moderatoris vobis ipsis, ac universæ Familiæ conservare maximè convenit (62). Hoc Pater Franciscus in illis sedibus Beatorum à vobis expectat: hoc petit Ordo universus, hoc omnes Provinciæ, hoc Sanctissimus Pontifex, ac Sapientissimus BENEDICTUS XIV. (quem cum nomino satis videor commendasse) vestræ, publicæque salutis omnium studio incensus hortatur, hoc cupit, atque expetit, hoc pro iis, quibus hunc Ordinem affecit, & cumulat in dies, immortalibus beneficiis, suo quoddammodo jure postulat, ac requirit. Quid itaque aliud vobis dicam? Quibus tandem verbis finem dicendi faciam? *Eligite*, Patres Ornatissimi, *eligite meliorem, & eum ponite super Solium Patris sui.*

DIXI.

DIS-

(62) *Justitia, & virtutis maximam partem habet, qui honore dignos honorat.* Democr. apud Stobæum serm. 44.



DISSERTATIO
DE SYNODO
ALEXANDRINA
PRO ELIGENDO
IN LOCUM DIOSCORI
S. PROTERIO
MARTYRE
IN ALEXANDRINUM
ARCHIEPISCOPUM.

Digitized by Google

AN CELEBRATA FUERIT ALEXANDRIÆ Synodus pro eligendo in locum Dioscori S. Proterio Martyre in Alexandrinum Archiepiscopum: an potius in Concilio Calchedonensi fuerit electus?

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA

HABITA ROMÆ IN PALATIO QUIRINALI

CORAM SS. DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

P. O. M.

IN ACADEMIA CONCILIORUM.

I. PRæclarè Novatianus Scriptor antiquus Catholicam Trinitatis professionem oppugnantes utrinque duas hæreses, quarum alteri Sabellius, alteri postea patrocinatus est Arius, inter se ita comparavit (a): *Revera quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est, & ita excipit hæreticorum istorum ex utroque latere*

(a) De Trinitat. lib. 30.

sacrilega convicia. Sic aliarum duarum hæresum medium est, & injuriis expositum, utriusque Catholicum de Incarnatione decretum, hinc Nestorii, indè Eutychii: qui ambo contrariis invicem sectis institutis, evertendæ Religionis negotium, pari sibi studio, ac proposito sumpserunt. Eutyches enim odio, ut credibile est, Nestorianæ hæresis, ac perperàm intellectis quibusdam vocibus Cyrilli Viri Sanctissimi permotus, in stolidum, & cum illo ex adverso pugnantem errorem incidit. Quippè

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Nulla sanè extitit unquam Euthychiana hæresi fœcundior, neque vel latiùs effusa, vel in plures particulas, factionesque distracta. Nam ex quo primùm Constantinopoli, in qua Euthyches Urbe erat Archimandrita, excitatum est ab inferis horribile portentum hæresis nefandæ, etsi debilitari interdum, & ad tempus comprimi potuerit, numquàm sic extinctum fuit, & oppressum, ut non modò in iis, modò in illis locis fumarent ejus reliquiæ; ac parte sui aliqua, præsertim in Urbe Alexandrina Dioscori nequissimi hominis fraude, ac perfidia rem Catholicam infestam, atque exercitam teneret.

II.

II. Et verò post Calchedonensem Synodum, damnatumque Dioscorum, ac Gangras relegatum ingentes Alexandriæ turbæ exortæ sunt, ubi de ordinando in Dioscori locum Episcopo cœptum est agi: quæ nec electo Proterio Viro Sancto, & Catholico conquieverunt. Interea ut historicorum omnium judicio fixum, ratumque est, Dioscoro successisse Proterium in Alexandrina Sede; qui tamen loci meminerint, in quo fuerit electus, reperies neminem ex nostrorum temporum Criticis: à quibus de Alexandrina Synodo ad eum eligendum coacta post Concilium Calchedonense, altum silentium omninò servatur. In tanta verò monumentorum penuria, & vetustate temporum Proterii Ordinationem, incredibili, ut diximus, maximoque Criticorum silentio obrutam, in Concilio Calchedonensi contigisse, unus memorat auctor historiæ, quæ prævia est eidem Concilio editionis Romanæ, quæ ann. millesimosexcentesimo vigesimo octavo Pauli V. P. M. auctoritate perfecta est, hisce verbis: *Dioscorum, in cujus locum Calchedonensis Synodus Proterium suffecerat, ejecit Marcianus Imperator in Urbem Paphlagoniæ.* (*b*)

(*b*) Videsis edit: Rom: Concil. Gener: in histor: Concil. Calched.

Digitized by Google

III. Hæc undè hauserit Auctor illius historiæ penitùs ignoro: quæ sanè judicio decretorio veluti ex trypode pronunciat; nullum verò profert iis confirmandis, aut ex conjectura, aut ex veterum testimonio, ne levissimum quidem argumentum.

Sed dissoluto Calchedonensi Concilio habitam esse Alexandriæ Synodum, in qua fuerit electus Proterius, arbitror, Academici, vos libentissimè concessuros, si, quo soletis, recto, ac severo judicio ea, quæ vobis exponam, momenta rationum, & conjecturarum expendetis.

IV. Itaque Evagrius, cui in historia describenda peculiaris accurationis laudem tribuunt Photius (*c*), & Cave in historia litteraria (*d*), Proterium electum in Synodo Alexandriæ collecta innuit his verbis: *Post hæc* (finito scilicèt Concilio Calchedonensi) *Dioscorum ad Gangrenam Urbem Paphlagoniæ incolendam condemnatur. Proterius autem Episcopatum ejus communibus suffragiis SYNODI ALEXANDRIÆ HABITÆ sortitur* (*e*). Quæ ulti-

(*c*) Phot: Cod: 29.
(*d*) Cav: histor: pag. 355.
(*e*) Evagr: libr: 2. cap: 5.

ultima verba græcè ita habentur: προεπρίος δε' τὴν' ἐπισκοπὴν ψήφῳ κοινῆ τ̃ συνόδȣ τ̃ Αλεξανδρέων κληρȣται. Hæc autem in hunc modum vertit Interpres Evagrii Christtophorsonus: *Episcopatum Ecclesię Alexandrinorum adeptus est*: Subaudiendo secundo articulo præpositivo τ̃ hoc genitivum ἐκκλησίας.

Sed vehementer fallitur, collocatio namque verborum in textu græco, ut optimè in hunc locum advertit Henschenius (*f*), est naturalis, & recta: neque quidquam subaudiri potest; cum Græci eleganter repetant articulum præpositivum, ut brevius explicent, loco subjunctivi. Henricus quoque Valesius, qui novam Evagrii versionem (*g*) eruditissimis notis illustravit, in eumdem modum vertit Evagrium, atque Christophorsoni, aut insciciam, aut malam fidem in Evagrio vertendo sæpissimè carpit.

V. Porrò Eminentissimus Annalium Parens Cardinalis Baronius (*h*), cum Evagrii, tum Liberati oraculo fretus, post Calchedonense Concilium in Synodo Alexandrina contigis-

(*f*) Vide Bolland: ad diem *xxviii*. Februarii tom. 3. ejusdem mensis pagina 730. num. 4.

(*g*) Edit: Parisiens. ann. 1673.

(*h*) Baron: ad ann: Christ. 452. num. xix. edit. noviss. Lucen. ann. 1741. Apud Leonard: Venturini.

tigisse Proterii ordinationem affirmat. Do verba Liberati, quæ leguntur apud Baronium loco citato: *Reversi sunt autem*, ait Liberatus (*i*), *relegato Dioscoro, Alexandriam, qui cum eo venerunt Episcopi, & Clerici, Athanasius Busirios Episcopus*, & *Nestorius Phlagoneos, & Auxonius Sebinnietensis, & Macarius Chabasenensis, qui consederant in Calchedone, & anathematizaverunt Euthychetem, & ejus dogma cum Dioscori damnatione, epistolam Papæ Leonis subscribentes, ut cum omnium Civium voluntate ELIGERENT ORDINANDUM EPISCOPUM, sacris ad hoc litteris præcedentibus ad Theodorum tunc Augustalem. Collecti sunt ergo nobiles Civitatis, ut eum, qui esset vita, & sermone Pontificatu dignus, eligerent: hoc enim & Imperialibus sanctionibus jubebatur. Cumque super hoc multa dubitatio præcessisset, volentibus neminem penitùs ordinare, ne adulteri viderentur, Dioscoro quippè vivente; novissimè in PROTERIUM universorum sententia declinavit, cui & Dioscorus commendavit Ecclesiam, qui & eum Archiepiscopum fecerat. ORDINATUS EST ERGO PROTERIUS, præsentibus supra memoratis Episcopis, qui Synodo (ut dictum est) subscripserunt, & inthronizatur.* Hactenus Liberatus.

Qui-

(*i*) Liberat: Diac. in Brev. cap. 14.

Quibus Liberati, & Evagrii teſtimoniis cum manifeſtè erroris convincitur Auctor hiſtoriæ Concilii Calchedonenſis, tum non modò ſtat in præcipiti, ſed penitùs ruit ordinatio Proterii, quam in eodem Concilio peractam confidenter nimis pronuntiavit.

VI. Quamquam ſi divinari licet, erit fortaſſe; qui collocet in Menæis Græcorum, & Nicephoro Callixto deſperatæ ſententiæ præſidium. In illis etenim apud Cytheræum legitur de Proterio (*j*) : *Cum plurimum pro Sanctis Patribus contra impias hęreſes decertaſſet, Epiſcopus Alexandrinus à Synodo deſignatur.* Nicephorus verò inquit (*k*) : *Sanctus Proterius communi Synodi conſenſu Alexandrinum Epiſcopatum ſortitus eſt.*

Verùm caveat, *ne fragili quærens illidere dentem, offendat ſolido*, ut ait Poeta ille; Caveat, ne incidat in acerbum Caſauboni judicium, monentis, *Nicephori hiſtoriam non pluris, quam folia farfaris eſſe faciendam* (*l*). Docent verò Tillemontius (*m*), & Bailletus (*n*), *Mæ*

(*j*) Menę: Gręcor: apud Cytheręum.
(*K*) Nicephor. lib. 15. cap. 8.
(*l*) Caſaubon. apud Honor. à S. Mar. animadverſ. in reg. & uſ. Critic. tom. 1. Diſſertat. 1. pag. Mihi 29.
(*m*) Tilleman. tom. 1. in Præfat. pag. 13.
(*n*) Baillet. in Vitis Sanctorum. pag. 55.

Digitized by Google

Menæa Græcorum ad depravatissimam, ajunt, *normam redacta esse, fabulas quoque magis exsuccas nullo delectu, & moderatione esse collocatas. Quo efficitur, ut illis fidendum non sit, quoties ea, quæ referunt, alibi non reperiantur.* Sed istos omittamus, apud quos nihil est, quod non vis intemperantis Criticæ conficiat. Non enim sibi constant Baillettus, & Tillemontius: qui ut notat Honoratus à Sancta Maria (o), iis, quas modò recitavi, obtestationibus in cassum reclamantibus, plurima tamen, quæ ipsi probant, iisdem Græcorum Menæis confirmare non dubitant.

VII. Illud potius urgerem: an tutum in Menæis Græcorum, & Nicephoro Callixto fundamentum quis constituere possit, cum Liberati, & Evagrii testimoniis miserè prematur? Rursùs: sive Liberati, & Evagrii spectetur antiquitas, sive eorum historiæ sinceritas, neminem fore crediderim, qui illis Nicephorum, & Menæa Græcorum anteponat? Liberatus enim, & Evagrius sæculo VI. floruere: Nicephorus verò sæculo XIV.; cujus in ordinatione Proterii statuenda errorem admireris intolerandum. Historiam ille suam ex Evagrii, Liberati, Eusebii, aliorumque commentariis con-

(o) Tom. 1. Differt. 2. art. 2. §. 2.

continuavit; nec tamen est veritus iis ipsis hac in re, aut stupido mentis judicio, aut contradicendi libidine motus adversari.

Ergo si hoc in negotio concidant, & Græcorum Menæa, & Nicephori authoritas, (concidunt autem omninò) quo tandèm momento Auctor historiæ Concilii Calchedonensis defendet opinionem suam penitùs afflictam, & enectam? Rejiciet Evagrium, & Liberatum? Verùm det pessum oportet omnes Artis Criticæ Canones, quibus & sapienter, & severè docemur: Scriptores, qui temporibus rei gestæ, quam describunt, sunt viciniores, præ ceteris audiendos esse, qui sequentibus sæculis floruere: nisi aliundè falsam, aut sublestam eorum fidem potiora argumenta demonstrent.

VIII. Quid verò si Proterii ordinationem non in Concilio Calchedonensi, sed Alexandriæ contigisse, ex actis ipsius Concilii, & ex epistolis Sancti Leonis eruamus non levibus conjecturis? Age verò. Tertio Idus Octobris, anno 451. Actio tertia magni illius Concilii habita est; in qua lectis libellis Theodori Diaconi Alexandrini, Ischyrionis Alexandrini item Diaconi, Athanasii Alexandrini Presbyteri, & Sophronii, adversus Dioscorum exhibitis

bitis (*p*), atque Eusebio Dorilæo actorem agente, Dioscorus damnatur. Deindè actione IV. ejusdem Concilii, quæ XVI. Kalendas Novembris cœpta est, de subscribenda ab universis Patribus epistola S. Leonis agitur, *qua nulla fuit unquam*, ait editor operum S. Leonis (*q*), *vel auctorata magis, vel decreta maturius, vel majori splendore illustrata.* Insignis cum Episcopis Ægyptiis concertatio fuit. Subscriptio petebatur: Eutychem illi execrari non verebantur: subscribere recusabant. Ajebant, morem esse Ægyptiorum, nec licitum subscribere, nisi præeunte Alexandrino Episcopo. (Prætextus, an causa fuerit, ut acutè notant doctissimus Petavius, Quesnellus, & alii non definierim. Magnis sanè altercationibus res acta est (*r*), ibaturque in condemnationem Episcoporum, cum judices obtinuerunt, ut quoniam de fide non ambigebant, subscriptio differretur post ordinationem Episcopi Alexandrini; datisque fidejussoribus dimissi sunt. Sic minax procella consilio, & prudentia judicum sedata.

IX. Non injucundum puto, nec inutile ad

(*p*) Vide Act. III. Concil. Calchedon.
(*q*) Quesnel. de vita, & gest. S. Leon. Mag. dissert. 1.
(*r*) Vid. Act. IV. Concil. Calchedon.

ad clariorem eorum captum, quæ à me dicenda sunt, propria verba Episcoporum Ægyptiorum, quantùm ad præsens institutum attinet, aliorumque Patrum Concilii referre. Itaque postquam Ægypti Episcopi libellum Fidei porrexerunt, eumque legi in pleno Concilio permissum est, *omnes Reverendissimi Episcopi*, ut legitur in Actione IV., *clamaverunt* : *Dogma Eutychis quare non anathematizatis? Cum impostura petitiones porrexerunt. Epistolę Leonis subscribant..... Eludere nos volunt, & DISCEDERE.* Et post pauca: hisce verbis Episcopi Ægyptii responderunt: *Si quis pręter ista, quæ à nobis in petitionibus porrecta sunt, sapit, sivè Euthyches, sivè alter aliquis, anathema sit. De Epistola autem Sanctissimi, & Deo amicissimi Archiepiscopi Romani Leonis, sciunt omnes Sanctissimi Patres nostri, quia in omnibus expectamus sententiam Beatissimi nostri Archiepiscopi, & petimus vestram clementiam expectare Præsidis nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur.* Et post pauca: *Diogenes... Episcopus Cyzici dixit: Qui necdum cognoscunt, quod credunt, isti ordinare habent Episcopum?*

Eccur dicebant Patres Concilii: *eludere nos volunt, & discedere*, si in eodem Calchedonensi Concilio eligendus erat Patriarcha Alexandrinus? Eccur non esse dignos Episcopos

Ægyp-

Ægyptios, *qui Alexandrinum Archiepiscopum ordinarent*, si à Patribus Calchedonensibus ordinandus erat? At cum Patres Concilii eos urgerent ad subscribendum, his ii verbis respondebant: *Morimur, per vestigia vestra, miseremini nostri. Moriamur à vobis, & non illic: Fiat hic Archiepiscopus, & subscribimus... Miseremini canorum nostrorum. Detur hìc Archiepiscopus. Novit Dei amantissimus Archiepiscopus Anatolius, quia talis consuetudo in Ægyptiaca Regione obtinuit, ut omnes Episcopi obediant Archiepiscopo Alexandriæ. Non quia non obtemperamus Synodo, sed occidemur in patria.... Propter Deum miseremini istorum canorum, parcite decem hominibus, parcite..... Hìc sumus, usque dum fiat Archiepiscopus. Sedes nostras volunt: tollant. Nolumus esse Episcopi, solummodò non moriamur.*

Mirum est, ac fere incredibile: Patres Calchedonenses statim non ordinavisse Archiepiscopum Alexandrinum, si ea ordinatio Calchedone peragi debebat. Id enim ei rumori sedando, & Episcoporum Ægyptiorum tollendo scrupulo, quem magnopere objiciebant, unicum erat, aptissimumque remedium.

Rursùs subjungebant Episcopi Ægyptii: *Date Archiepiscopum, & si contradixerimus, punite nos..... Non contradicimus, sed eligite Archie-*

piscopum. Hic expectamus, usque dum ordinetur. Nimirùm: qui paulò ante dixerant, se Calchedone discessuros, (*eludere nos volunt*, ajebant PP. Concilii, *&* *discedere*, ut suprà notavimus) & ituros Alexandriam, ut Archiepiscopum eligerent, nunc dicunt, se Calchedone expectaturos, usque dum Archiepiscopus ordinetur. Equidem non aliud eos expectare iis verbis innuitur, quàm Nuntios ab Urbe Alexandrina, qui ordinationem Archiepiscopi illìc peractam significarent.

Cum verò, ut suprà diximus, de Fide non ambigerent, judicum prudentia, & reliquorum deindè Patrum Concilii consensione factum est, ut Ægyptiorum Episcoporum subsciiptio differretur. Verba Concilii sunt (*s*): *Quoniam Reverendissimi Episcopi Ægyptiorum, non ut repugnantes Catholicę Fidei, subscribere in præsenti distulerunt epistolæ Sanctissimi Archiepiscopi Leonis, sed dicentes consuetudinem esse in Ægyptiaca Regione extra sententiam, & jussionem Archiepiscopi nihil tale se posse; possunt autem sustineri se, donec consecretur Episcopus, qui ordinandus est magnæ Civitatis Alexandriæ; rationabile nobis, & clemens esse apparuit, ut in eodem habitu expectent in Regia Civitate, & di-*

I *la-*

(*s*) Ibid: Act. IV.

142

lationem habeant usque ad ordinationem Archiepiscopi magnę Civitatis Alexandriæ .... Undè permanentes in proprio habitu Reverendissimi Episcopi Ægyptiorum, aut dent fidejussores, si hoc illis est possibile, aut per Sacramentum eis credatur, quia expectant ordinationem futuri Episcopi magnę Civitatis Alexandrię.

Hæc si quis seriò expenderit, indicant apertè, non in Concilio Calchedonensi peragendam, sed Alexandriæ futuram Proterii ordinationem. Quorsùm enim petitur ab Alexandrinis Episcopis (fuerunt autem tredecim, qui porrexerunt Fidei libellum.) aut fidejussor, aut juramentum, si Patres Concilii Calchedonensis suffragiis suis novum Antistitem eligere decrevissent? De eorum fuga: nec timor ullus, nec ulla suspicio. An metuendum, ne illi adversarentur electioni, quam Synodus fecisset? Immò verò id ardenter, & enixè precabantur: *Date Archiepiscopum*, dicebant, *& si contradixerimus, punite nos. Non contradiximus, sed eligite Archiepiscopum.*

Nollem verò eadem verba quis in me retorqueret. Si enim Episcopi ipsi petiverunt à Synodo, ut eligeret Archiepiscopum: *Eligite Archiepiscopum*; ergo non ab Alexandrina, sed à Calchedonensi Synodo electus fuit.

Sed scrupulus omnis eximitur, si petitionis

nis consilium aperiatur. Postquam igitur hæc ab Episcopis Ægyptiis dicta fuere, respondit Synodus: *Episcopi Ægyptiorum aut dent fidejussores, aut per Sacramentum eis credatur, quia expectant ordinationem futuri Episcopi.* Non respondit: *Donec à nobis eligatur*; sed: *Quia expectant ordinationem futuri Episcopi.* Redit ergo idem argumentum, quod mox urgebamus: Eccur, scilicèt, petitur ab ipsis fidejussor, aut Sacramentum, si à Synodo erat tunc eligendus Alexandrinus Antistes? Rursùs: sunt illa Episcoporum verba non tàm volentis ex animo, quod rogat, quàm miseri deprecantis, ne ad faciendum cogatur, quod ab aliis severè præcipitur. Instabant enim Patres Calchedonenses, minabantur, urgebant, ut illi subscriberent. Qui ut ostenderent, se & ad subscribendum paratos, nec morem esse Ægyptiorum, subscribere, nisi præeunte Alexandrino Episcopo, ajebant: *Non quia non obtemperamus Synodo, sed occidemur in Patria.* Tandem veluti per quamdam impatientis animi vim dicebant: *Non contradiximus, sed eligite Archiepiscopum.*

Præterea sexdecim actionibus tota Calchedonensis Synodus continetur, quæ si Proterium elegisset, non nisi post quartam actionem contigisse dicendum est. Verùm de hac

Proterii ordinatione ne verbum quidem in reliquis actionibus. Novi jam, quæ pestis illa non modò Romanæ communionis, sed & humani generis Joannes Clericus, quæ Launojus, Dupinus, aliique sæpè declament contra argumentum, quod negans dicitur: quod cum his ipsis, à quibus rejicitur, prodest, approbant omnes; respuuntque dumtaxàt, ubi nocet. Verùm silentio prætereundam fuisse rem insignem adeò, & præclaram in Synodo gestam, ut erat Alexandrini Patriarchæ ordinatio, prudens nemo sibi persuaserit.

X. Rursùs. Si dicas Proterium in Calchedonensi Synodo ordinatum, negare non potes, quin ut ceteri Episcopi, sic Proterius reliquis actionibus post quartam debuisset subscribere. Quo argumenti genere ex Episcoporum subscriptionibus desumpti, Eminentissimus Cardinalis *Aguirre* (*t*) demonstrare conatur: non ab alio Isidoro, quàm à S. Isidoro Hispalensi Episcopo collectas fuisse Epistolas Decretales veterum Pontificum. Quod an doctissimi Viri opinioni stabiliendæ vim habeat, videant æqui rerum æstimatores. In re nostra tamen, ni fallar ego, decretorium esse videtur. Gravissima enim jurgia, ut supra memoravi,

(*t*) Cardin: Aguir: in Collect: Concil: Hispan.

ravi, inter Ægyptios Episcopos, & universam Calchedonensem Synodum exorta sunt, quia subscribere recusabant. Ergo si tunc à Synodo fuisset electus Proterius, profectò illius subscriptionem legeremus. Verùm reperies nusquam subscriptionem Alexandrini Archiepiscopi. Nam in universis Concilii actionibus bis legitur *Proterii* nomen. Qui tamen non est Proterius noster, sed alter, qui Episcopus erat Myrrhinæ Civitatis. Neque alium hujus nominis Episcopum, qui in Concilio Calchedonensi subscripserit, aut interfuerit, nobis exhibent cum index accuratissimus nominum Episcoporum, qui Conciliis Generalibus interfuere, tum alter Index Geographicus Episcopatuum, ut videre est apud Labbeum (*u*). Nec Proterium nostrum inter eos, qui subscripserunt Concilio Calchedonensi, reperies in CodiceMaffei antiquissimo annorum mille, descripto olim Romæ à Sirmondo, cujus Codicis subscriptiones emendavit Harduinus (*x*). Fortè potuit oculos fugere nomen Proterii. At illud verè dicam: quum acta universa Calchedonensis Concilii, & Indices nominum Episcoporum, & Episcopatuum, tum præfatum

I 3 Co-

(*u*) Vid: Collect: Concil: Labb: tom. 1. & alibi.
(*x*) Vid: Codic: Maff: à Sirmon: descriptum, & ab Hard: emendat: in Collect: Labb: Concil:

Codicem Maffei non unà, non semel, sed ter, & amplius à me lectos esse diligenti studio, & attenta consideratione.

Sed una superest aranearum tela, qua se tegat adversarius. Etenim in actis, quæ extant, Synodi Calchedonensis desiderantur dimidiæ partis subscriptiones. Quidni ergo non periisse dicenda est subscriptio Proterii?

Habeo. Sed hæc unico ictu dissipatur. Etenim versionem Concilii Calchedonensis omnium antiquissimam à Rustico Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono emendatam, à *Petro Crabio* (*y*) editam, & à Romanis editoribus mutatam, ex auctoritate, & fide veterum exemplarium restituit *Stephanus Baluzius*: nec tamen in ea subscriptum reperies Proterium. Deindè. Distinguendæ sunt subscriptiones Episcoporum, quæ in fine cujuslibet actionis apponuntur, ab eorumdem Episcoporum nominibus, quæ in principio actionum recitantur. Illæ etenim, quæ in fine, propria manu à singulis Episcopis: hæ, quæ in earum principio, manu aliena fiebant. Verùm licèt multæ desiderentur subscriptiones ex iis, quæ in fine actionis reperiuntur: nemo tamen est, qui ullum

(*y*) Petrus Crabius ex Ordine Minorum fuit primus, qui Acta Conciliorum in unum corpus redegerit.

ullum deeſſe ſuſpicetur alicujus Epiſcopi nomen, quod in principio cujuslibet actionis apponebatur. Itaque poſt actionem IV., à V. nimirum uſque ad XVI. recitatis primò loco Legatorum Romanæ Sedis nominibus, ſtatim recitat Synodus nomina Archiepiſcoporum *Conſtantinopolis*, *Antiochiæ*, *Hieroſolymorum*, *Theſſallonicæ*, aliorumque plurimorum.

Quid verò cauſæ eſt, ut Alexandrinus Epiſcopus non nominetur: qui tamen ipſe nominandus erat, ſi advertamus, vel ad Alexandrinæ Sedis dignitatem, & excellentiam, vel ad univerſorum Patrum Calchedonenſium ardorem vehementiſsimum pro confirmandis Concilii decretis Alexandrini etiam Antiſtitis auctoritate? Quid eſt cauſæ præterea, ut ne nomina quidem illorum tredecim Epiſcoporum, qui ut ſupra diximus, libellum Fidei porrexerunt, aut in exordio actionum recitentur, aut in earum fine numquam ab actione quinta uſque ad ultimam ſubſcripta legantur? An omnes illorum ſubſcriptiones perierunt, ut nec una ſaltem ſuperfuerit? Scilicèt ex aliis Provinciis aliquos dumtaxat Epiſcopos: at ex Ægypto omnes quotquot erant, voratrix tinea, & edax temporum vetuſtas corroſere penitùs, & obliterarunt. Ego verò libentiùs, & veriùs crediderim, eas illorum ſub-

scriptiones deesse, quia Calchedone reversi erant Alexandriam, ut in amplissimo Sacerdotio illius Urbis, adeòque totius Ægypti Patriarchatu S. Proterium constituerent.

XI. Sed postremo loco ex Epistolis S. Leonis invictum est, quod deducimus argumentum. Annus Christi erat 453., *Pontificatus autem Leonis XIV.* : quo Pontifex Sanctissimus epistolam scripsit ad Julianum Episcopum Coensem. Hæc in editione Quesnellii est in ordine octogesima (z), & data fuit *quinto Idus Martii, Opilione Viro clarissimo Consule.* Quatuor illius epistolæ veluti capita sunt. *Primò* : gratias agit Juliano, quod suas ærumnas, odiaque iniquorum molestè tulerit. *Secundò* : Anatolium ab Imperatore increpitum esse significat. *Tertiò* : Sciscitatur de Monachorum Ægyptiorum tumultu. *Quartò* : Agit de Epistola sua, & de Actis Calchedonensis Synodi in Latinum vertendis. Rogat ergo Pontifex in hac Epistola, ut de Ægyptiorum Monachorum fide, & de Alexandrinæ Ecclesiæ pace, quæ vera sunt, à Juliano scribantur. Verba Epistolæ sunt : *De Ægyptiis Monachis quàm quieti, aut cujus sint fidei, scire desidero; & de Alexandrinę Ecclesiæ pace quid ad vos veris nun-*

(z) Vid: Epist: 80. S. Leonis in edit: Quesnel:

nunciis perferatur: ad cujus Episcopum, vel ORDINATORES ipsius, seu Clericos qualia scripta direxerim, missis exemplaribus scire te volui. Hactenùs S. Leo.

Quò pertinent ista, nisi ut appareat, fuisse Proterium non in Calchedonensi, sed Alexandrina Synodo ordinatum? Perierunt hæ litteræ: quas in hac ad Julianum Epistola Leo testatur, se scripsisse Alexandrino Episcopo, ejusque *Ordinatoribus*; quarum jactura ab ipso operum Leonis editore observata est. Cum verò hæc, quæ extat, data fuerit *anno* 453. *quinto Idus Martii*, consequens est: illas, quæ in hac commemorantur, nonnisi in exordio, ut verosimillimum puto, *anni* 452., aut illo elabente scribi potuisse. Concilium namque Calchedonense, ut ex ejusdem actis liquet (*Aa*), inchoatum est *anno Christi* 451. *octavo Idus Octobris*, *Pontificatus Leonis* 12.; *Imperii Valentiniani* 27., & *Marciani* 2., absolutum verò eodem anno *Kalend: Novembris*. Atque absolutis rebus omnibus Patres Concilii novissimo loco Synodalem Epistolam ad S. Leonem scripsere, qua significabant, quæ in Concilio pertractata erant, eademque ab eo rata haberi, atque firmari petebant. Et quamquam in fine hu-

(*Aa*) Vid: Baron: ad ann: Christi 451. num. margin: 66. & 160.

hujus Epiſtolæ legatur: *Scripſi pridie Kalendas Aprilis, feria tertia, Indictione decimatertia*; hæc tamen verba, ut Baronius obſervat (*Bb*), non ſunt ejus Epiſtolæ, ſed Librarii, qui eam exſcripſit. Non enim ad menſem Aprilis *anni* 452. pervenit Concilium, quod menſe Novembris fuit abſolutum. Nec *Indictio decima tertia* pertinet ad idem Concilium, quod celebratum eſſe *Indictione quarta*, ex ipſis Concilii actis docemur. Nec Marcianus Auguſtus imperium propagavit uſque *ad decimam tertiam Indictionem*, qui *Indictione VIII.* defunctus eſt. Hoc igitur *anno* 451. ſcripta non fuit Epiſtola illa, quam ſe ſcripſiſſe ad *Epiſcopum Alexandrinum*, *vel ORDINATORES ipſius*, S. Leo teſtatur in Epiſtola ad Julianum Epiſcopum Coenſem. Nam cum à Juliano petat, quomodo res Alexandrinæ Eccleſiæ ſe habeant, argumento eſt, S. Leonem ad illud uſque tempus, quo Juliano ſcribebat, nondum Alexandria accepiſſe reſponſionem. Eſt autem incredibile, Alexandrinos ad tantum temporis intervallum diſtuliſſe, ut Pontifici reſponderent. Nimirùm ſi hæc, de qua nunc loquimur, Epiſtola *ann*: 451. verſus finem ſcripta dicatur, jam poſt unum adhuc integrum annum,

(*Bb*) Ibidem numer. 146.

num, & duos ferè menses non respondissent Alexandrini, videlicèt usque *ad annum* 453. *quinto Idus Martii*; quo S. Leo scripsit ad Julianum. Tantam in Alexandrinis, eamque rusticam negligentiam in respondendo Epistolæ Leonis Pontificis Sanctissimi vix credam, ac ne vix quidem.

XII. His ita constitutis, redeamus in viam. Si Epistola *ad Episcopum Alexandrinum ejusque Ordinatores anno* 452., quantum conjectura assequi possum, scripta fuit: & tamen *anno* 453. cum scribit ad Julianum, petit Leo, ut sibi à Juliano significetur de Alexandrinæ Ecclesiæ pace; adhuc ergo Pontifex tunc ignorabat, quisnam esset ad regendam Alexandrinam Sedem destinatus. Præsagiebat tamen, nondum licèt acceptis Alexandria Nunciis, quæ ibi gerebantur; revolvens animo, quantum Dioscori factio valeret: adeòque non nisi magnis tumultibus novam successoris electionem esse peragendam.

Atqui sicut cetera omnia, quæ in Concilio Calchedonensi gesta fuere, minimè usque ad illud tempus ignorabat Leo, ut ex ejus Epistolis eodem anno datis perspicuum est, sic ordinationem Proterii scivisset, si Calchedone fuisse peractam affirmetur.

Sed quod magis ad rem nostram pertinet, con-

considerandum attentiùs. Dicit Leo: Se scripsisse *ad Alexandrinum Episcopum, vel Ordinatores ejus.* Sanè hos, qui Proterium ordinaverant, alios fuisse à Patribus Concilii Calchedonensis, hisce verbis Leo designat: scilicèt Episcopos Ægyptios, Calchedone reversos Alexandriam, novum Episcopum in locum Dioscori suffecturos. Nam eos dicit *Ordinatores*, qui Alexandriæ, non qui Calchedone erant.

Deindè: Certum est extra omnem controversiæ aleam, fidei professionem S. Leoni misisse Proterium, in Sede jam Alexandrina constitutum, ut accipere communicationem catholicam à Pontifice mereretur. Meminit hujus S. Proterii Epistolæ S. Leo scribens ad Julianum Coensem Episcopum, suum apud Imperatorem Legatum: estque Epistola ejus in ordine 68., in editione Regia Parisiensi Conciliorum (Cc): data *anno Christi* 454.: *Quinto Idus Januarii, Aetio, & Studio viris clarissimis Consulibus.* Qua in Epistola hæc leguntur: *Fratrem Proterium Alexandrinę Urbis Episcopum gratulor satisfactionis plenas de fide sua ad nos litteras direxisse, &c.* Atque, ni falsus conjectura sim, non multo tempore à die, quo electus fuit in

(Cc) Tom: 7. Concili: edit; Reg: Paris: pag.. 145.

in Archiepiſcopum Alexandrinum, moras protraxiſſe Proterium ad hanc profeſsionem Fidei S. Leoni mittendam, certum eſſe videtur. Demus itaque, eum in Concilio Calchedonenſi fuiſſe ordinatum credibile ne eſt, S. Proterium neglexiſſe, hanc profeſsionem ſtatim Calchedone ſcribere, eamque unà cum Epiſtola Synodali, quam ſuprà memoravimus, mittere ad Leonem; aut ſaltèm ſtatim ac Alexandriam adveniſſet, ſi ab ea Urbe miſſa ſupponatur? Quod ſi ita contigiſſe concedatur, eccur hujuſce profeſsionis fidei à Proterio miſſæ numquam meminit S. Leo, niſi in hac Epiſtola *ann.* 454. ad Julianum data? Eccur in altera ad eumdem Julianum ſcripta *ann.* 453. non modò non meminit hujus profeſsionis, ſed ignorare ſe affirmat Eccleſiæ Alexandrinæ ſtatum? Hæc ignorantia, hæc mora, hoc ſilentium, qua via, quo modo componi, & cohærere poſsint cum Ordinatione, & electione Proterii in Calchedonenſi Concilio peracta, non video. Quiſque verò ſe ab omnibus ambagibus facillimè expedit, ſi eam ſtatuat Alexandriæ contigiſſe. Cœterùm exciderunt etiam hæ tum ſcriptæ S. Proterii, tum S. Leonis ad eum redditæ litteræ: uti etiam quas de eadem fidei profeſsione ex more videtur miſiſſe ad alios Patriarchas Orientis, & ad Imperatorem Marcianum. Nec

Nec quempiam movere debet, quod hæc Alexandrina Synodus pro eligendo Proterio in Archiepiscopum Alexandrinum in aliorum Conciliorum numero, neque ab Editoribus, neque à Collectoribus recenseatur. Huic etenim tollendo scrupulo satis erit, si advertamus, quæ de *Synodi* nomine Sanctissimus Pontifex, qui nunc regnat, (diu utinam vivat) edisserit in opere nuper edito *de Synodo Diœcesana*. Non enim hoc *Synodi* nomen significat semper eos dumtaxat Episcoporum Conventus (*Dd*), à quibus, quæ pertinent ad fidem, & mores pertractantur. Hoc autem Synodorum genus in serie Conciliorum recensetur. At cum in nostra Alexandrina Synodo de sola ordinatione Proterii actum sit, nihil verò quod ad fidem, vel mores, vel demùm ad fidem pertineret, mirum non est, si inter alia Concilia non numeratur.

Jam verò si acta Martyrii, quod Proterius subiit, haberemus, arbitror fore, ut ex illis de hac Alexandrina Synodo clariùs, & luculentiùs nobis constaret. Fortassè etiam Romæ in Archivis delitescunt. Mos enim erat antiquissimus, ut ad Romanos Pontifices acta Martyrum Ecclesiæ singulæ mitterent, ut egregiè

(*Dd*) Sanctissimus Pontif. Benedictus XIV. in Opere *de Synodo Diœcesana*, cap: I.

giè admodum, & eruditè probat Sanctissimus Pontifex noster (*Ee*) in celeberrimo opere *de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione*.

Nec plura, Academici, tum de Alexandrina Synodo, quæ mihi primo loco ad disserendum proposita est, tum de Alexandrinis tumultibus, post ordinationem Proterii exortis. Quos cum considero, si me negem ad iracundiam, & lacrymas commoveri, equidem mentiar. Iis enim sedandis, & impediendis, vel minimùm profuit exilium Dioscori. Qui postquam Episcopatu Alexandrino à Synodo Calchedonensi dejectus est, & *Gangram* Asiæ minoris Civitatem deportatus, ut observat *Pagius* noster (*Ff*), *immò militari manu perductus*, ait Baronius (*Gg*), illic demùm interiit *anno* 454. Id verò idem Pagius probat (*Hh*) ex Epistola S. Leonis ad Julianum Coensem Episcopum scripta, atque 8. *Idus Decembris* data, *Aetio, & Studio VV.CC.Coss.* ann. scilicèt CDLIV. & à Quesnello ex *M.S. Codice* Cardinalis Grimani publicata, quæve ordine est CXI. Hinc erro-

(*Ee*(Idem in Tomo 1. *de Canonizatione Sanctorum* lib: 1. cap. 4.

(*Ff*) Apud Baron: ad annum 451. nùm. margin. 160. edit: Lucen: 1741.

(*Gg*) Baron. ibidem.

(*Hh*) Pag: ubi supr:

errorem notat Chronicon Copticarum Patriarcharum, in quo legitur: Dioſcorum amandatum eſſe in Inſulam in Occidente conſtitutam, annis ſeptem in ea moratum, mortuumque *die ſeptima Tuti*, quarta nempè die menſis Septembris.

Timotheus itaque Ælurus præſtigiis, & fraudibus uſus, nullo ſcelere, nulla iniquitate, nulla demùm impietate, & inſidiis omiſsis, Monachorum Cellas nocturnus ambulator pervadens, ac de ſe dicens: *Ego ſum Angelus, &, ut à Proterii communione, & ab iis, quę Calchedonę ſunt acta, cuncti abſtineant, & ſubindè Timotheum Ælurum Alexandriæ conſtituant Epiſcopum, denuntiatum ſum miſſus*, Alexandrinæ Eccleſiæ pacem turbare, Proterio Viro Sanctiſsimo necem moliri cœpit. Quod tantum ſcelus, atque exectabile patratum indè eſt. Sed hæc pro anni tempore ſatis. *Venit enim tempus*, ut verbis utar Poetæ vetuſti:

Venit enim tempus, quo torridus æſtuat aer:
Incipit & ſicco fervere terra Cane.